DISPUTATIO

DE

EUHEMERO.

AUCTORE

CORNELIUS MARIUS KAN.

DISPUTATIO

DE

EUHEMERO.

DISPUTATIO

DE

EUHEMERO,

QUAM,

FAVENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE

RECTORIS MAGNIFICI

EVERARDI JANI DIEST LORGION,

Theol. Doctoris et in Facultate Theol. Professoris extraordinarii,

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU,

ET

NOBILISSIMAE FACULTATIS PHILOSOPHIAE THEORETICAE ET LITERARUM HUMANIORUM DECRETO,

Pro gradu Doctoris,

SUMMISQUE IN LITERIS HUMANIORIBUS ET PHILOSOPHIA THEORETICA HONORIBUS ET PRIVILEGIIS,

IN ACADEMIA GRONINGANA,

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS,

PUBLICO OMNIUM EXAMINI OFFERT

CORNELIUS MARIUS KAN,

Groninganus.

A. D. XIX M. Novembris A. MDCCCLXII, Hora XII.

GRONINGAE,

Apud J. B. WOLTERS, Bibliopolam.

Gedrukt bij de Erven C. M. van Bolhuis Hoitsema.

PATRI ET SOCERO FUTURO

VIRIS OPTIMIS, CARISSIMIS.

Ante hos quatuor annos, cum commendatione Virorum Amplissimorum, Gymnasii Winschotani Curatorum, conrectoris munus nactus essem, non alio modo melius gratum animum testari me posse putavi, quam si religiose atque industrie hoc munus obirem.

Neque tamen studia literarum, quas docendas suscepi, mihi non cordi erant. Quamvis novi muneris occupationes non illud quod vellem tempus his studiis tribuere sinerent, qua potui tamen assiduitate, in haec incumbere perrexi, ut Doctoris gradum consequerer. Dissertatio igitur conscribenda fuit, quae et viribus meis aequa nec studiis prorsus sine fructu esset.

His monitis igitur, quae ad vitae meae rationes et inde in dissertatione conscribenda exortas pertinent molestias, iam reliquum est paucis, quae gratum animum subeunt, effundere.

Te autem primum alloquor, pater carissime!

Quem animi grati sensum frater dilectissimus ante hos aliquos annos est testificatus, lubens hic paucis verbis mutatis repeto: Tu, multis occupationibus retentus et variis calamitatibus conflictatus, neque laboribus neque curis pepercisti, ut filii ingenium ad virtutis et litterarum praestantiam inflammares. Parem gratiam referre non possum; haec tamen precor a. D. O. M. ut tam bonis sis viribus, ut adolescentiam non requiras, quo diutius liberorum et aliorum commodis inservire possis.

Haec scribens pueritiae memoriam recordor suavem, quam in Gymnasio Groningano degebam, tua utens

institutione et virorum doctissimorum J. A. SCHNEITHER, *eheu! iam defuncti*, RIEDEL, WIJNNE, RENSSEN, ALINGS, BAEHR, HOEKZEMA, *pro quorum egregia disciplina, benevolentia erga me praestita, et patientia, gratissimus semper ero.*

Praecipue autem tibi me devinctum publice profiteor, doctissime RIEDEL, *pro ea quam a te expertus sum, benevolentia. Nunquam enim auxilio defuisti, si libris indigerem, qui studiis inservirent, sed qua soles humanitate, ex summa copia depromsisti; tuorum erga me meritorum semper ero memor.*

Quid tibi debeam, vir consultissime et amicissime J. S. G. KONING, *enuntiare est mihi dulce quid et optatum. Multis modis mihi profuisti, neque unquam a te discessi, colloquio tuo usus, quin humanitatem et intelligentiam sim admiratus.*

Quid vobis dicam, Viri clarissimi, quos praeceptores habere in hac Musarum sede per duos tantum annos contigit. Verbis dignis vestra celebrare merita non possum, indignis vero nolo: id tamen commemorare juvat, quod non praetermittere sinit animus: vestram egregiam doctrinam non solum in studiis scientiae et cognitionis magni aestimare potui, quibus utinam diutius ducibus vobis mentem in hac Academia exercere licuisset; sed quidquid in methodo docendi profeci, vestro debere acumini, quo viam patefecistis et munivistis juvenili aetati difficiliorem atque arduam, profiteor.

CONSPECTUS.

INTROITUS.

Haud ultimum tenet locum inter opera antiquitatis, quae tempore deperdita deplorantur, Euhemeri ἱερὰ ἀναγραφή (1). Etsi dubitamus, quod nonnulli contenderunt, eousque eam animos permovisse, ut de industria, sicut Pyrrhonis et quorundam Epicureorum scripta, deleretur, haud exiguum tamen fuit vulnus quod cultui inflixit Deorum.

Sed non solum animos perturbavit hominum piorum, religiosorum et deos verentium; e doctis etiam Euhemeri aequalibus fuere historici et philosophi, qui cum studio fortasse librum perlegerint, tam libere audacterque artem historiae criticae exercentem.

Sin minus probandus, omnino tamen lectu dignus fuisset noster Euhemerus novae theologiae auctor.

Quaeri iam potest, quomodo componi possit commentatio de auctore, cujus operis pauca exstent fragmenta; de quo ipso etiam nihil, *minus* saltem quam de opere statuatur?

Nihil facilius quam colligere et quaerere, iam diu

(1) Vid. FABRICIUS, *Sext. Emp. adv. Mathem.*, IX, 17, p. 552; SEVIN, *Mémoires de l' Académie des Inscr.*, VIII, p. 114; FOUCHER, *Recherches sur l'origine et la nature de l'Hellénisme*, tom. XXXIV, p. 461.

saepiusque collecta et quaesita, scilicet: operis reliquias apud varios auctores dispersas, quibus adjungere queas loca, ubi Euhemeri modo nomen citatur (1).

Nihil tamen difficilius lectoribus, quam inde cognoscere Euhemerum vel facere judicium de Euhemerismo, quam tamen rationem, praeter veteres recentiorum non pauci sunt amplexi.

Sin locum quaeramus, quem tenuerit in historiographia et mythologia Graecorum Euhemerus, qui reperiri posse videtur, si conferuntur, cum testimonia veterum tum reliquiae operis, tam tempus, in quod incidit quam schola, cui annumerari possit, deinde si indagemus, quatenus fieri possit, quae fuerit apud Graecos et Romanos operis auctoritas atque effectus, sic demum operae pretium videtur de novo quaerere, colligere, ex datis conjicere.

Sequitur exinde argumenti divisio:

I. *Quaedam de arte historiae scribendae apud Graecos ante Euhemerum.*

II. *De cultu deorum apud Graecos ante Euhemerum.*

III. *Euhemerus: aetas, patria, ἱερὰ ἀναγραφή etc.*

IV. *De Euhemerismo.*

V. *Quaedam de operis vi atque effectu apud Graecos et Romanos.*

---

(1) Böttiger, *Kunstmyth.*, p. 190, putat: »die Stellen der Apologeten bedürfen noch einer besondern Sichtung." Recte autem hac de re L. Krahner, *Grundl. der röm. Staatsrel.*, p. 34, »sie sind sammt und sonders unbedeutend."

CAPUT I.

QUAEDAM DE ARTE HISTORIAE SCRIBENDAE APUD GRAECOS ANTE EUHEMERUM.

Nulla in parte sane artis historiae scribendae minus profecisse videntur Graeci quam in critice (1).

Omnia, quae de historia disputabant ac cogitabant (2), tam argumentum sive materia, quam forma operum (3) historicorum, praesertim hujus artis primordia effecerunt, ut de recta via deducerentur.

Sicut historia, quae vulgo dicitur, universalis (4) a veteribus non scribebatur, neque satis accurata de hac re fuit concepta notio, ita historia non arte, legi-

(1) WACHSMUTH, *Hell. Alterth.*, II, p. 772; ULRICI, *Charakteristik der antiken historiogr.*, p. 282—296.

(2) Maxime valet quod de historia pronuntiavit summum antiquitatis ingenium Aristoteles, qui scripsit *De poët.*, c. 9, tom. II, p. 608 ed. CASAUB. *φιλοσοφώτερον καὶ σπουδαιότερον ποίησις ἱστορίας ἐστίν. ἡ μὲν γὰρ ποίησις μᾶλλον τὸ καθόλον ἡ δ' ἱστορία τὰ καθ' ἕκαστον λέγει.*

(3) Spectamus praecipue formam, qua utuntur annalium scriptores.

(4) ULRICI l. c. p. 176—192.

bus, ratione disciplinarum et philosophiae componebatur; nil mirum igitur inde hanc partem maxime laborasse, quae dicitur critice.

Breviter paucisque liceat hujus rei referre causas. Praecipui historiae scriptores ea scripto mandabant, quae ipsorum tempore vel paullo ante vel paullo post memoratu digna viderentur, suae potissimum regionis vel civitatis res gestas tradebant (1), ut, quae adessent sensibusque perciperentur, exponere possent, et lectorum delectationi studentes, vividis coloribus depingerent, orationes insererent, unde tamen factum est, ut eo facilius deciperentur, si, quae non ipsi vidissent vel audivissent, enarrarent. Inde falsum judicium, quod veteres ferunt de iis, quae non ad ipsorum pertinent tempus et populum; inde reipublicae graecae notio ad barbaras gentes translata et praecipue notiones, quas de diis rebusque divinis habebant Graeci, exteris tributae.

Saepe parum eminet narratio rerum gestarum, quibus ipsi aderant; neque in eas semper satis diligenter inquirebant; non omnia separatim singillatimque perscrutabantur: quod *vulgo* fiebat, *semper* factum esse saepius statuebatur (2).

Pauci litterarum monumenta satis magni aestimabant, et rerum publicarum formas describebant (3), quas recte

---

(1) Demonstrant hoc opera quae extant Herodoti, Thucydidis, Xenophontis, Polybii. Theopompi operis (Συντάξις ἑλληνικῶν) pars prima continebat annos 411 usque ad pugnam apud Cnidum.

Ephorus (ULRICI, p. 186) in parte primaria res sui temporis tractabat; Callisthenes, Clitarchus, Anaximenes descripserunt res gestas Alexandri, quibus ipsi interfuerant.

(2) WACHSMUTH, *De vet. scriptor. graec. levitate*, 1825.

(3) Si praeter Critian Aristoteles ejusque discipuli legibus et regiminis formis animum advertunt, iam Heraclides Ponticus ad fabulas redit. Cf. CIC. *Tusc.*, V, 3; de *nat. deor.*, I, 13: »ex eadem schola Ponticus Heraclides puerilibus fabulis refersit libros."

raro perspexerant; tabulas regum vel archontum, populiscita nemo fere in fontium dignationem vertebat. Quo minus igitur Graeci de postulatis critices cognoverant, eo magis accommodabantur opera historica ad artis leges (1): formae elegantia nunquam negligenda erat; cujusvis generis lectoribus, tam iis, qui historiam poesi vel fabulis annumerabant, quam eruditioribus, qui vitae publicae praecepta ab ea petebant, utrisque, dico, oratio sententiarumque floribus conspersa (2), mos inserendarum orationum et disputationum philosophicarum valde necessarius et gratus.

Alienum videbatur ab arte historiae conscribendae, inquisitionibus criticis interrumpere narrationem, quod iis a formae elegantia abhorrere videbatur (3).

Hanc igitur partem historiae primum tenuisse locum, quam mythicam dicimus, ex dictis iam apparere potuit (4).

Magna mythorum copia, multae heroum historiae fontes praebebant ad memoriam ultimarum rerum repetendam, in quibus enarrandis et explicandis quam

---

Dicaearchi opus quotannis recitari, quod reipublicae rationem continebat, omnibus notum. Cf. CIC., *ad Att.*, VI, 2, qui *ἱστορικώτατον* eum dicit. Non sermo denique apud Graecos de actis publicis, sicut apud Romanos Annales maximi.

(1) ULRICI, p. 297—341.

(2) Secundum DION. HALIC., *de Thucyd.* c. 51, in rerum scriptore poeticum quid insit necesse. Eadem fere putat STRABO, I, p. 47, et QUINCTIL, *Instit. Orator.*, X, 1, 31. LUCIANUS quomodo hist. sit conscr. cap. 45, in historico eadem quaerit quae in artifice *ὅλως δὲ νομιστέον τὸν ἱστορίαν συγγραφόντα Φειδίᾳ ἢ Πραξιτέλει. ἐοικέναι εἶναι.*

(3) De praestanti Thucydidis introitu DION. HALIC., l. c., c. 19, *οὐ ὁ τῆς τέχνης λόγος ὑπαγορεύει οὕτως μεθοδεύειν τὰς αὐξήσεις.*

(4) De diversitate mythorum et varietatis causis agit HEYNE, *Comm. Gött.*, tom. XIV, p. 126.

minima opus erat critica, quo magis lectores oblectarent, patriaeque gloriam augere possent. Recte igitur. HEYNE (*Comm. Gött.* XIV, p. 126): »historia antiquissima Graecorum mythica est, mythis constat, mythica aliqua oratione involuta."

Neque tamen solum Graecorum *antiquissima* historia mythica vocari potest, sed per omnia quibus viguerunt rerum gestarum scriptores tempora multum valebant mythi (1); e mythis exorta est historia; ad mythos rediit (2); quot mythorum genera, tot modis a rerum scriptoribus tradebantur et explicabantur.

In hisce scriptoribus ante Euhemerum quale sit hoc mythicum quaerentes, et demonstrabimus, quae supra diximus, et locum ostendemus, quem inter eos tenuerit Euhemerus.

Consideremus igitur logographos, Herodotum et quatenus fieri possit, Ctesian, Ephorum.

Plurimos variosque mythos operibus intexuerunt logographi. Etsi non est nostrae disquisitionis respondere ad quaestionem, utrum historia originem duxerit *e* poesi an *juxta* poesin locum occupaverit (3): tamen ipsa haec quaestio magnum praebet momentum: haud facile ceteroquin neget quis antiquos historiae scriptores, qui dicuntur logographi, in colligendis et componendis vetustorum mythorum generibus, largiter hausisse e

---

(1) Sufficiat h. l. testimonium POLYBII, cujus incidit aetas in finem antiquitatis Graecae; talia refert de historia graeca (lib. IX, prooemium) *πολλῶν γὰρ καὶ πολλαχῶς ἐξηριθμημένων τά τε περὶ τὰς γενεαλογίας καὶ μύθους ἔτι δὲ καὶ συγγενείας καὶ κτίσεις*, XVI, 20; *τόδε πρὸς ἀλαζονείαν καὶ φανταοίαν ἐπαινούμενον καὶ ζηλούμενον ὡς μέγα τι θαυμάσιον.*

(2) NONNUS dicit: „*μυθοτοκὸς* "Ελλας."

(3) CREUZER, *Histor. Kunst der Griechen*, p. 43 seqq. Cujus refutat sententiam ULRICI, p. 27 seqq.

poeta epico Homero, Hesiodo, Cycliis (1), quos, etsi non in pedestrem orationem versos (2), tanquam fontes tamen ad sua adhibuerunt opera. Agnoscet quis tam orationem in logographorum scriptis, quam argumentum fuisse poeticum; hac in re a poetis differebant solum rerum scriptores quod pedestri oratione scriberent (3), porro novos non crearent mythos sed nihil addentes neque detrahentes poetarum fabulas traderent (4).

Nonne apud logographos, quatenus fragmenta vel antiquitatis testimonia judicium ferre sinunt, eandem copiam, eandem mythorum varietatem, quam apud poetas invenis? Theogoniis, cosmogoniis, heroum genealogiis (5), tribuum et singulorum locorum fabulis oppleta primorum historicorum opera (6). Cum hisce tam arcte cohaerent *κτίσεις*, mixtum quid ex fabulis poeticis et religiosis, quibus adjunguntur naturae, locorum hominumve descriptiones.

---

(1) Creuzer, l. c. p. 60, 61, 70 et 71. Hoc eo facilius fieri potuit. quia poësis epica, poesis omnino antiqua historiae munere fungebatur. Hom. *Il.*, II, 484 seqq. Eodem fere consilio scripsit Hesiodus ac Herodotus, quippe qui narrare sibi proposuerant *κλεῖα προτέρων ἀνθρώπων.*

(2) Quod narrat clemens alex, *Strom.*, lib. VI, p. 629, *τὰ δε Ἡσιόδου μετήλλαξαν εἰς πεζὸν λόγον καὶ ὡς ἴδια ἐξήνεγκαν Ἀκουσίλαος καὶ Εὔμηλος οἱ ἱστοριόγραφοι.*

(3) Strabo, I, p. 18: *εἶτα ἐκείνην (ποίησιν) μιμούμενοι λύσαντο τὸ μέτρον τ' ἄλλα δὲ φυλαξάντες τὰ ποιητικὰ συνέγραψαν οἱ περὶ Κάδμον καὶ Φερεκύδην καὶ Ἑκαταῖον.*

(4) Dion. halic. *de Thuc.*, c. 5, *μήτε προστιθέντες αὐτοῖς μήτε ἀφαιροῦντες.*

(5) »Stamm-und Localsagen", ut dicunt Germani.

(6) Cf. praecipue dion., c. 5, 7, 23 etc.; heyne, *Comm. Gött.*, XIV, p. 130; hac in re omnino conveniunt cum poetis posterioris temporis, Eumelo, Panyasi et Simonide, qui dicitur *γενεαλογικός*, de quibus creuzer, p. 62.

Quid mirum? Incidit logographorumaetas si pauca addas secula in aetatem, quae dicitur heroïca, (1) neque rerum auctoribus alios praebebat fontes (2), nisi quod peregrinationibus, visendis monumentis, audiendisve sacerdotibus aliquanto plures fabulas conquirere possent. Non magna igitur hoc tempore critices vis: hoc modo spectare videbantur historici, ut quaererent, quid traditum esset, quid non; num ex vero ad rem saepe nihil pertinebat.

Quae tamen ii ad rem pertinere censuerint, tot docent nos alia aliorum testimonia (3), inprimis autem Thucydidis (4), unius instar omnium, ob praestantem, quam de historia concepit notionem et modum quo propositam telam texuit.

Num multo minor copia mythorum in Herodoti novem libris invenitur? profecto, neque eadem varietas: attamen multi inveniuntur.

Nolumus patris historiae obtrectare laudibus, neque utemur ad sententiam probandam Plutarchi accusationibus (5) vel odiosis Harpocrationis criminationibus (6):

---

(1) De tempore logographorum, CREUZER p. 63—69.

(2) Non casta sacerdotalis sicut apud Asiae populos nisi Argis et Sicyone, de quibus postea; non aderant annales; quae ἐν ἀναθήμασιν erant inscripta brevia; unicus igitur fons hoc tempore dici fere potuit poëma.

(3) Cf. STRABO, VIII, p. 341: πολλὰ μὲν οὖν καὶ οὐκ ὄντα λέγουσιν οἱ ἀρχαῖοι συγγραφεῖς συντεθραμμένοι τῷ ψεύδει διὰ τῆς μυθογραφίας.

(4) Lib. I, cap. 21: οὔτε ὡς λογογράφοι ξυνέθεσαν ἐπὶ τὸ προσαγωγότερον τῇ ἀκροάσει ἢ ἀληθέστερον ὄντα ἀνεξέλεγκτὰ καὶ τά πολλὰ ὑπὸ χρόνου αὐτῶν ἀπίστως ἐπὶ τὸ μυθῶδες ἐκνενικηκότα.

(5) Spectamus PLUTARCHI opusculum » περὶ τῆς Ἡροδότου κακοηθείας."

(6) HARPOCRATIONIS opus deperditum περὶ τοῦ κατεψεῦσθαι τὴν Ἡροδότου ἱστορίαν.

statuatur magna eum voluisse, plurisque duxisse fidem historicam (1).

Quis autem negabit logographis saepius Halicarnassensem esse annumerandum?

Id, quod sibi proposuit in scribenda historia, oratio, qua utitur, memoriam nobis excitant itinerarii, in quo mythica et fabulosa cum veris permiscentur.

Ionia, patria carminum et mythorum, ad scribendi methodum multum quoque contulit, ita ut opus universum, similiter ac logographorum opera, mythico colore et poetico sit imbutum (2).

Ordinat quasi populos et historias disponit secundum nova et miranda (3): inquirit sane magis quam priores logographi, quatenus vera sint quae sit nuntiaturus: attamen multa accepit tradiditque fabulosa ac mythica, praesertim a sacerdotibus, aliisve cujusdam loci incolis commemorata (4).

Nullas tamen sanctiores existimavit mythos, nullis

---

(1) Creuzer, p. 98 seqq. praecipue p. 100. Patet deinde Herodoti voluntas ex opere ipso v. c. I, 172, ubi dicit: *τοῦτο γὰρ οὐκ ἔχω ἀτρέκεως εἰπεῖν*, cetera autem lectorum subjicit examini; sc. c. III, 122: *παρέστι δὲ πείθεσθαι ὁκοτέρῃ τις βούλεται αὐτέων*, dein V, 44, 45, ubi diligenter exponit causas certaminis Crotoniatas inter et Sybaritas, non curans gloriam Thuriorum.

(2) Cf. I, 5, ubi series mythorum *ἑξείης* narrantur; I, 20, ubi, more logographorum, quae cujusdam urbis cives (h. l. *Δελφῶν*) ei narrarunt, exponit; neque praetereunda, quae inveniuntur II, 121 de fabula Rhampsiniti, IV: 8—16, de Origine Scytharum et de Arione. Quinque priores libri rerum mirabilium sunt pleni: II, 5—35 et 35—99, de Aegypto, III, 98—118, de India et Arabia, IV, 60—83 seqq., de Scythia.

(3) Verba Thucydidea I, 22: „*ἀγώνισμα ἐς τὸ παραχρῆμα ἀκούειν κτλ.* etiam Herodotum spectare inter alios videntur.

(4) Declarat hoc ipse II, c. 123, sibi impositum esse omnia memoriae tradere quae narrantur a quovis et modo quo audivit ipse: *ἐμοὶ δὲ παρὰ πάντα τὸν λόγον ὑπόκειται ὅτι τὰ λεγόμενα ὑπ ἑκάστων ἀκοῇ γράφω.*

majorem habuit fidem, quam qui ad cultum pertinerent deorum, ita ut Herodoteos religiosos fere diceres mythos.

Metus enim deorum, religio impedimentum ei, quominus libere critices artem exerceat: proxima eventuum causa est voluntas deorum, fatum (1), unde explicatur principium, gravissima totius operis sententia: de νεμέσει et φθόνῳ θεῶν.

Differt igitur noster Herodotus eatenus a logographis, ut copia et mythorum varietate illis cedat, fide tamen historica, fide Thucydidea, parum praestet.

Manent in historia Graecorum fabulae mythique.

Licet in introitu tam acriter ea objurgasset Thucydides, licet exemplum, quod plus valet, ante oculos proposuisset, τὸ κτῆμα ἐς ἀεί: innatum quid τὸ μυθικόν videbatur, quod ab historia graecorum distrahi nec divelli potuit, perpetuumque mansit.

Iam de novo ac majore cum varietate mythos operibus intexuisse videtur Ctesias, quamvis sint parca τῶν Ἰνδικῶν et Περσικῶν fragmenta, ita ut ex iis vix distingui possit, quae mythorum genera vel quomodo acceperit tradideritque mythos (2).

De India videtur narravisse ea, quibus Herodotus locum non concessisset, nisi addens ὡς λόγος ἐστίν (3);

---

(1) χρῆν Κανδαύλῃ γενέσθαι κακῶς I, c. 8; ἐγένετο ἀπὸ προφάσιος II, 161; II, 120 τοῦδε δαιμονίου παρασκευάζοντος...... ὅκως καταφανὲς τοῦτο τοῖσι ἀνθρώποισι ποιήσωσι VIII, 13; ἐποιέετο τε πᾶν ὑπὸ θεοῦ ὅκως ἄν ἐξισωθείη τῷ Ἑλληνίκῳ τὸ Περσικόν cf. ULRICI, p. 195 et DAHLMANN, p. 177.

(2) ARISTOT., *Hist. Anim.*, VIII, c. 28; PLUT., *Artax.*, C. 1: (τὸν Κτησίαν), εἰ καί τ' ἄλλα μύθων ἀπιθάνων καὶ παραφόρων ἐμβέβληκεν εἰς τὴν βίβλον παντοδάπην πυλαίαν. Similiter GELL, *Noct. Att.*, IX, 4, narrat se emisse libros graecos, miraculorum plenos, inter quos Ctesiae opera.

(3) HEYNE *Comm. Gött.* tom. VIII, p. 79; ULRICI, p. 50; CTESIAE, Fragm. ed. *Baehr*, p. 6, 7 seqq.

eum fuisse fontem Diodori Siculi non sine veri specie concludas (1) et errores non excusantur iis, quae ad levandam culpam attulerunt Heeren et Cuvier (2).

Haud lenius fertur judicium de eo, qui aetate, ratione methodoque proximum Euhemero tenet locum, scilicet de Ephoro (3).

Pauca, quae ad nos pervenerunt fragmenta; veterum testimonia, parum acuta, distincta neque inter se congruentia; clarissimorum hujus temporis doctorum (4) variae sententiae accuratiorem requirerent disquisitionem, quam hic expectare par est.

Hoc constat: quemadmodum historia sive potius historiae theatrum dilatatum erat, ita apud rerum auctores se explicuerant mythi, unde extitit aut orientis critices primum vestigium, aut ad lectorem delectandum reperta nova methodus: mythorum emendandorum explicandorumque ratio, quae, quamvis ab Ephoro non inventa, ab eo tamen exculta dici potest, quodque majoris momenti videtur, ad cultum deorum heroumque interpretandum applicata (5).

---

(4) DIOD. SIC., II, 20: Κτησίας μὲν οὖν ὁ Κνίδιος περὶ Σεμιράμιδος τοιαῦϑ' ἱστόρηκεν, I, 32, ubi de eo ejusque vita agit, 35 seqq.

(1) SCHOELL, *Griech. Litt. Geschichte*, p. 345.

(2) De Ephoro: POLYB. l. XVI, c. 12, ubi levitatis accusatur Ephorus ob miracula quae tradit de iis, qui Arcadii Jovis intrantes templum expertes umbrae fiunt; AELIANUS, *Var. Hist.* III, 18. καὶ ταῦτα εἴ τῳ πιστός ὁ Χίος λέγων...... ἐμοὶ δεινὸς εἶναι δοκεῖ μυϑολόγος καὶ ἐν τούτοις καὶ ἐν ἄλλοις δέ.

(3) Defendunt eum CREUZER, *Symbolik* u. s. w., p. 204 et 205 et MEIER MARX, *Ephor. fragm.*, p. 53; contraria autem putant HEEREN, *Ideen* u. s. w., Th. III, Abth. I, p. 471; Th. II. p. 28 et 280; HEYNE, *Comm. Gött.*, tom. VII, p. 94 et ULRICI, p. 51 et 52 (notae).

(4) Cf. prae aliis BLUM, *Röm. Geschichtschr.*, p. 94—100.

Quidquid tamen inter se disputarunt hac de re Creuzer et Ulrici, neuter eum explicuisse mythos negavit.

Modus quo, quatenus indagari potest, hujus opusculi parti secundae reservabitur.

Iam haec sufficiant de rerum scriptoribus ante Euhemerum (1).

Mythos semper in iis primum tenuisse locum demonstrandum esse putavimus, qualescunque variis artis historiae scribendae temporibus fuerunt: poetici, religiosi aliusve generis.

Altera ratio et via, quam inierunt Thucydides, Philistus ceterique, nempe politico-rhetorica mythicae quidem contraria, nunquam tamen coepit esse ita accepta vel ad commune judicium popularemque captum accommodata.

Hanc tantam a vulgo gratiam modo inierunt qui fabulis libros referserunt.

Quam igitur viam, a priorum ratione diversam, inierit Euhemerus sectione quarta tradetur.

---

(1) Quod attinet ad Alexandri historiae scriptores, Anaximenem, Clitarchum, reliquos, de iis initio partis tertiae, quum agetur de Euhemeri aetate, erit sermo.

CAPUT II.

DE CULTU DEORUM APUD GRAECOS ANTE EUHEMERUM.

Praefari mihi liceat initio secundae opusculi partis ea, quibus primo capite potius dandus fuerit locus: neque iam de cultu deorum, uti antea de arte historiae scribendae, subtilem disputationem esse expectandam.

Iam hoc mihi sufficere videtur, si clare accurateque Euhemeri locum indicavero in utraque re i. e. memorata aliorum methodo vel sententia, novam monstravero viam, si quam iniit, vel commoda aut incommoda ante oculos posuero, ejus methodo vel systemate historiographiae et cultui allata (1).

---

(1) De allegoricis et pragmaticis mythorum explicationibus, quas recentiorum temporum viri docti excogitarunt, exposuit BÖTTIGER, *Kunstmythol.*, I, p. 202—207, et PRELLER, *Gr. Mythol.*, I, p. 19—24.

Credo me habere quod sequar, si ad sequentes respondeam quaestiones:

A. Quousque procedebat Graecorum religio? Veramne fidem dabant iis, quae de diis heroibusque continerent mythi fabulaeque, ubicunque tradita?

Num reverentia Deorum totum tenuit populum?

B. Quinam, ejus religionis subvertentes fundamenta vel mutantes, paullatim eam destruxerunt?

A.

1. Nulli poetae majorem vim et auctoritatem, plusque ponderis et momenti in deorum cultu habuere, quam Homerus et Hesiodus (1).

Procul absit, ut religionis *auctores* dicantur: nihilo minus facile credat quis, hosce poetas ad sua carmina mythis fabulisque usos, ore populi diffusis et circumlatis (2), inde quoque pro sua parte magnam habuisse auctoritatem, quae, quamdiu ille ipse stetit Graecorum cultus, remansisse dici potest.

Transit Graecorum cultus per Homerum ab aetate, quae dicitur pelasgica, in aetatem heroïcam: dantur diis in ejus carminibus forma, cognomina, nomina; virtutes, vitia, munera diis apposita sunt; attributa singulis data: eo sensu secundum Herodotum conditores appellantur (3).

Quid valuerint Homeri carmina in pueris educandis,

---

(1) Cf. WELCKER, *Gr. Götterlehre*, I, p. 5—8 et II, pars prior, 68—82; PRELLER, I, 7—15; WACHSMUTH, *Gr. Alterth.*, II, 438—440.

(2) Ad epos transtulerunt epici, quae iam antea inveniebantur celebrata 1) in hymnis, 2) in carmine lyrico.

(3) Locus saepius citatus II, 53, οὗτοι δέ εἰσιν οἱ ποιήσαντες Θεογονίην Ἕλλησι καὶ τοῖσι θεοῖσι τὰς ἐπωνυμίας δόντες καὶ τιμάς τε καὶ τέχνας διελόντες καὶ εἴδεα αὐτῶν σημήναντες.

in artificibus ad artem incendendis atque excitandis, iam saepius dictum: fundamentis, ab iis positis, cyclii aliique poetae (1) mythorum numerum auxerunt vel potius mythos fabulasque memoriae prodiderunt, quae populus, ingenio imbutus Homerico, de novo sibi crearat.

Attamen videamus, utrum solum in poetarum operibus hae permanserint fabulae, an in populi etiam animos penetraverint et permanaverint. Brevitatis studiosi simus necesse.

2. Vulgus Graecorum vere constanterque fidem deorum heroumque mythis habuisse, patet ex testimoniis scriptorum.

Apud Herodotum viarum duces Xerxi multa exponunt de Jove Laphystio; aliud exemplum invenitur apud eundem (2), ubi magi in honorem Thetidis, apud Iones cultae, sacrificant.

Auctor gravissimus Thucydides omnibus notam fuisse Pelopis fabulam refert (3): narrat alio loco, Corcyraeos inter nautas in honore fuisse ob Phaeacum, majorum, gloriam (4).

Eo sensu intelligenda quae inveniuntur apud Pindarum: »*φάντι δ' ἀνθρώπων παλαιαὶ ῥήσιες*'' (5). Pausanias denique, quo minorem meretur fidem historicam, eo plura hujus cultus collegit monumenta:

---

(1) Exemplum Homeri secuti: Stasinus, Arktinus, Lesches; exemplum Hesiodi secuti: Asius, Eumelus aliique.

(2) I, 9: *λέγουσι δὲ καί οἱ τὰ σαφέστατα Πελοποννησίων μνήμῃ παρὰ τῶν πρότερον δεδεγμένοι Πέλοπα κτλ.*

(3) I, 25: *καὶ κατὰ τὴν τῶν Φαιάκων προενοίκησιν τῆς Κερκύρας κλέος ἐχόντων περὶ τὰς ναῦς.*

(4) VII. 194 *οἱ κατηγήμονες .... ἔλεγον ἐπιχώριον λόγον τὰ περὶ τὸ ἱρὸν τοῦ Λαφυστίου Διός.*

(5) Ol. VII, 100: spectant haec verba ad fabulas, quae de insula inter Rhodios circumferebantur.

ad ea quam maxime animum intendebat; nam iis maximam ipse habebat fidem (1).

3. Patet deinde, quousque permanaverint mythi fabulaeque, praesertim epicae: ex reliquiis, quas servabant earum rerum, de quibus in mythis sermo erat; ex magna copia templorum, sacellorum, sepulcrorum in honorem deorum vel ab heroibus ipsis conditorum (PAUSANIAS et STRABO ea quovis loco exstructa narrant), quae (2) regionis incolae omnino genuina habebant.

Serio vereque a diis heroibusque originem ducere credebantur principes (3); dies festi, ludi, sollemnesque ritus quotannis mythum in memoriam revocabant (4); in orationibus publicis a mythis deducebantur argumenta ad rem confirmandam (5).

4. Ipsi aderant dii ex opinione Graecorum; praesentes afferebant auxilium.

Quamquam nemo, nisi mente captus, solem lunamque curru per coelum vectos aspiciebat, attamen Sol et Luna dii habebantur (6) et is, qui defectum solis ex legibus naturae explicare auderet, quia ἄθεος

---

(1) Enumerat monumenta, sepulcra, reliquias, quae vidit in itineribus: sequentur postea exempla.

(2) Tegeatae servabant apri Calydonii reliquias (PAUS. VIII, 46, 1 et 2); Aulide ostendebatur platanus (PAUS. VIII, 23, 3); cf. porro PAUS. IX, 25, PAUS. VII, 4, 4.

Cf. AESCH., VII c. Theb. 510 et quae postea tradentur de sepulcro Jovis in insula Creta.

(3) Reges Spartanorum (HEROD. VII, 204 et VIII, 131). Molossorum reges a Neoptolemo originem ducebant (PLUT. *Pyrrh.* C. 1), Cypriorum reges a Telamone et Teucro.

(4) PLUT. *Thes.*, 27, agit de foedere quod cum Amazonibus fecit Theseus *μαρτύριον ἐστιν .... ἥτε γινομένη πάλαι θυσία ταῖς Ἀμάζοσι.* Cf. HEROD. IX, 73.

(5) HEROD. VII, 159; IX, 26 et 27: Ἐνθαῦτα ἐν τῇ διατάξι *ἐγένετο λόγων πολλὸς ὠθισμὸς Τεγεητέων καὶ Ἀθηναίων ... καὶ καινὰ καὶ παλαιὰ παραφέροντες.*

(6) HEROD. II, 24.

deos spernere habebatur (1), publice accusabatur. Pherecydes Syrius licet terrae motus exposuisset causas, existimabatur tamen Neptunus apud Spartanos et Thessalos deus esse iratus, ejusdem naturae atque apud Homerum.

Non jactatorem Capanea tempore epico tantum fulmine percussit Jupiter, quum Thebarum moenibus ille dejiceretur; in agmen Persarum, Delphos petentium (2), eadem jecit fulmina. Saepe in acie unus alterve deus vel heros pugnantibus opitulatur: heroes autem ipsi pugnae se immiscent (3).

Inter Graecos sapientissimi nonnulli humano habitu sibi fingebant esse deos; in somniis indicia dabant (*θεοφανίαι*) dii (4), quibus omnibus iam satis dilucide patet, non apud poëtas modo has de diis invaluisse opiniones, sed vulgus quoque infectum imbutumque fuisse hac de diis sentiendi ratione.

5. Nihil autem huic deorum reverentiae magis inserviebat quam cura, a civitate posita, in ea tuenda et a quovis impetu vindicanda (5). Quasi simul cum

---

(1) PLUT. *Nic.* c. 23: *καὶ Πρωτάγορας ἔφυγε καὶ Ἀναξάγοραν εἱρχθέντα μόλις περιεπονήσατο Περικλῆς καὶ Σωκράτης.*

(2) HEROD. VIII, 37 seq.: *ἐπιόντες οἱ βάρβαροι κατὰ τὸ ἱερὸν Προνηΐης Ἀθηναίης (ἐπεγίνετό σφι τέρεα ἔτι μέζονα τοῦ πρὶν γενομένου τέρεος), ἐν τούτῳ ἐκ μὲν τοῦ οὐρανοῦ κεραυνοὶ αὐτοῖσι ἐνέπιπτον.*

(3) HEROD. VI, 105, 117: *τὸν Πᾶνα Ἀθηναίοισι κελεῦσαι ἀπαγγεῖλαι.* PLUT., *Them*, 15: *Αἰακίδες* apparent *παρακεκλημένοι εὐχαῖς πρὸ τῆς μάχης.* Secundum PAUS., I, 13, 7, II, 21, 5, Ceres interfecit Pyrrhum.

(4) PLUT., *Alex.*, 26: *εἶτα νύκτωρ κοιμώμενος ὄψιν εἶδε θαυμαστήν· ἀνὴρ ποσιὸς τῷδε* (Themistocli) *λέγεται τὴν μητέρα τῶν θεῶν φανῆναι, Ἀθυμοῦντος δὲ τοῦ Περικλέους ἡ θεὸς ὄναρ φανεῖσα συνέταξε θεραπείαν, ᾗ χρώμενος ὁ Περικλῆς ἰάσατο τὸν ἄνθρωπον,* *Them.* 30; *Per.* 13; CIC., *de divin.*, I, 25; PLATO, *Crito*, II.

(5) WACHSMUTH, *Gr. Alterth.*, II, p. 465, § 125; WELCKER, p. 31, II, 1. Haec tamen omnia non ita accepta velimus, ac si

civitatibus exoritur cultus (1), sive indigenae, quos *αὐτοχθόνας* nominare liceat, erant incolae, sive vagationibus tribuum et coloniis, advenae (2).

Tam populi universi deos quam singularum familiarum heroas, templa, sacra tuebatur civitas (3); *ἀσεβείας* rei: Protagoras, Diagoras, Anaxagoras, Socrates, Epicurei (4), velut pestes civitatis avertebantur et capitis damnabantur.

Irridere diis publicis licebat (5); negare, esse deos, nefas erat, neque instituere permittebatur cultum, qui diis noceret publicis.

Jam viguit cultus deorum ante leges, nam antiquissima legislatio iam in statuendo administrandoque cultu versabatur (6).

Zaleuci et Charondae aliorumve antiquorum legislatorum leges praeceptis abundasse videntur de diis eorumque cultu (7), unde non multum significatione

---

apud Graecos sermo esse posset de »religione civili" (staatsgodsdienst), qualis fuit apud Romanos. Cf., quae hac de re eximie protulit, KRAHNER, *Grundliniën zur Geschichte des Verfalls der Röm. Staatsreligion*, p. 13 seqq.

(1) XENOPH. *Memor.*, IV, 4, 19: *καὶ γὰρ παρὰ πᾶσι ἀνθρώποις πρῶτον νομίζεται θεοὺς σέβειν.*

(2) WACHSMUTH, II, § 124.

(3) V. C. *Ἀπόλλων πατρῷος*: sic *Διὸς ἑρκείου* cultus et inter servos Herculis cultus. Cf. praecipue PLAT., *de Leg.* IV, p. 717 etc.; THUC. II, 74. Archidamas rex Spartanorum evocat deos Plataeenses, quos civitas colebat.

(4) AELIAN., *Var. Hist.*, IX, 12.

(5) Ut e comoedia apud Athenienses apparet: WACHSM., II, p. 467 et I, 615.

(6) DEMOSTH., *c. Mid.*, p. 530: *οὐ μόνον κατὰ τοὺς νόμους περὶ τῶν Διονυσίων*, et p. 525: *ἔθεσθε ἱερὸν νόμον αὐτῷ τῷ θεῷ περὶ τῆς ἱερομηνίας*, PORPHYR., *De abstin.*, 4, 22. *αἰώνιος τοῖς Ἀτθίδα νεμομένοις κύριος τὸν πάντα χρόνον θεοὺς τιμᾶν καὶ ἥρωας ἐπιχωρίους.*

(7) STOB., *Floril.*, 44, 20, 40: *μέγιστον ἀδίκημα θεῶν καταφρόνησις*: sic septem sapientium sententiae, v. c. Cleobuli apud

inter se distant vocubula: *πάτριαι παραδοχαὶ* et *τὸ νόμιμον.*

Quum sequentibus temporibus, ut videbimus, sancta deorum verecundia tam variis mythorum explicationibus, quam a philosophis subvertitur, rejiciunt et relegant oracula ad *πατρίας παραδοχάς*; his adhaerebant, haec tuebantur pii, haec probabant exculti (1).

Vidimus itaque quae demonstranda erant, scilicet: apud Graecos fuisse cultum deorum, qui penetravisset in vulgus, quem cultum publicum, ab omnibus observatum, jure dicas neque a sacerdotum ordine, neque a poetis tantum deducendum (2).

His igitur illustratis, iam eo pervenimus, ut videamus, quibus auctoribus quibusve causis paullatim expellerentur Graecorum Dii.

B.

Tam externae quam internae causae deos ex cultu cedere coegerunt, quia e Graecorum pectore evanuerat amor pietasque Deorum.

1. Primum iis inflixerunt vulnus philosophi ex Asia Minore et Italia (3).

STOBAEUM, 3, 79: *εὐσεβείαν φυλάσσειν.* Bias eodem loco: *πάντοτε λέγε ὡς εἰσί θεοί.* DIOG., LAERT. I, 88: *περὶ θεῶν λέγε ὡς εἰσίν.*

(1) XENOPH. *Memor.*, IV, 6, 5, et ibidem I, 3, 1 et IV, 3, 16: *Apol.* 14: *ἡ γὰρ Πυθία νόμῳ πόλεως ἀναιρεῖ ποιοῦντας εὐσεβῶς ἂν ποιεῖν· Σωκράτης τε οὕτω καὶ αὐτὸς ἐποίει καὶ τοῖς ἄλλοις παραινεῖ.*

(2) Haud opus erit ostendere, quot aliis rebus sustentaretur haec fides Deorum: fiebat nempe oraculis, poëtis tragicis et lyricis, musicis, saltatione, artibus etc., de quibus omnibus WELCKER, II, 1, 82—157.

(3) Polytheismo obstabant philosophi unum deum spiritumve admittentes, aut deos esse omnino negantes. Nominat Anaximander *τὸ ἄπειρον* „*το θεῖον*" idque immortale dicit esse atque omnia superans et regens (CIC. *N. D.*, I, 10). Indidit animae prudenti, quae gubernat mundum (*ὁ νοῦς*), nomen „*τὴν ψυχὴν τοῦ κόσμου*" Anaxa-

Neque tamen statim Graecia ipsa magnopere hoc morbo affecta esse videtur: Persicorum tempore bellorum apud historicos aliosque sancti adhuc dii (1); bello autem Peloponnesiaco, tam religionis quam morum ingens facta est commutatio, quam rem vere, qua erat sagacitate, perspexit Thucydides (2); permansit hic rerum status, donec philosophi, sophistae maxime autem bella civilia, exque iis ortae rerum publicarum ruinae, invexerunt novos cultus (3) atque impediverunt, quominus mores, leges et ingenium Graecorum sincera integraque servarentur.

2. Sed internae quoque causae aderant morbi: in ipso cultu semina et elementa tam morbi quam futurae mortis.

Ipse cultus probabat et admittebat, quamvis abscondite, summam mentem, fontem atque omnium principium, cui varia variis temporibus nomina: *αἶσα* (4), *μοῖρα*, *θεός*, *δαίμων*, *τὸ θεῖον*, potestatem omnibus aliis superiorem diis, quo divina indicabatur vis, neque certus definitusque deus (5); ceteroquin humanum quid in diis, quod dicitur anthropismus, quem creaverat praecipue

---

goras; Xenophanes exponit de eo, quod dicitur, *ἓν τὸ ὂν καὶ πᾶν* et distincte unum modo statuit deum; Empedocles disserit de substantia divina per mundum penetranti et pervadenti; Leucippus et Diagoras prorsus deos esse negant.

(1) Quod patet ex Herodoto et tragicis.

(2) III, c. 82 et 83, et III, 53, ubi de pestis eventu agit: *θεῶν δὲ φόβος ἢ ἀνθρώπων δὲ νόμος οὐδεὶς ἀπεῖργε κτλ.*

(3) Praecipue hoc factum est expeditione Alexandri in Asiam et Indiam. Vid. CREUZER, *Symbol.*, I, § 62, p. 202 seqq.

(4) *Iliad.*, IX, 608: *Διὸς αἶσα*, et XVII, 321: *ὑπὲρ Διὸς αἶσαν*, et XXII, 209: apud Pindarum quoque *σὺν θεῶν αἴσᾳ*; ut aliorum verborum exemplo utar AESCHYL. *Theb.*, 616: *θεοῦ δὲ δῶρον*, *Eumen.*, 546: *γελᾷ δ' ὁ δαίμων*; DEMOSTH., *c. Aristag.*: *ἂν θεὸς θέλῃ*.

(5) Huc referendum *τὸ αὐτόματον* (LYSIAS, *c. Andon.*, 223) et *τύχη* quod apud Thucydiden tantum valet.

poësis epica et finxerat, auxerant autem usitatae receptaeque de diis opiniones vulgares, quique apparet e deorum sepulcris, heroum apotheosi aliisque rebus (1), hic, dico, anthropismus ansam dedit ad res divinas, saepe parvi aestimatas, in ludibrium vertendas (2).

Inde quoque fiebat, ut tot tamque variis modis rescinderetur populi cultus, tum ab iis, qui in deos invehebantur, tum qui ad deorum honorem quasi defendendum mythos emendabant, explicabant vel iis fidem denegabant.

Nam praeter eos, qui aperte cultui adversabantur, deos omnino esse negantes, ex hominum piorum grege etiam provenerunt, qui sensim deorum mythorumque fidem concutere coeperunt.

Non statuendum tamen hosce omnes, contemtu deorum adductos, iam initio cultum impugnare ac violare animum induxisse. Hanc ob rem enim mythos deque diis fabulas interpretabantur, vel nonnullis fidem denegabant, ut in dilecto cultu persistere possent, suis opinionibus vulgares accommodarent, vel, sublatis, quae diis indigna circumferebantur, cultum purgarent. Postea tamen mutata ratio: quo eruditiores enim docti, quo solutius civitatis vinculum, eo magis distabant opiniones a vulgaribus et publicas quaerebant inimicitias.

Eo sensu putavimus in ipso cultu, inter pios ipsos, animi dubii et impietatis elementa esse quaerenda. Quorumnam tandem, praeter ἀθέων, opiniones cultui, qui dicitur Homericus, fuerunt contrariae?

Sicut iam primo aspectu distinguitur apud Graecos eruditorum et vulgi cultus, ita eruditi in probandis et

---

(1) Praeclare hac de re exposuit HOECK, *Creta*, III, p. 330 seqq.

(2) Cujus rei Aristophanes et Euripides praebent exempla.

explicandis deorum mythis duas secuti sunt interpretationum vias: volumus explicationes pragmaticas (1) sive historicas et interpretationes allegoricas (physicas, naturales). Pauca de utraque.

Mature, ut vidimus, antiqui coeperunt historici emendare et explicare mythos ita ut interpretationis mythorum, quae dicitur pragmatica vel historica iam pridem vestigia inveniantur (2).

Duce historia vel geographia illustrare vel emendare mythum conabantur, quam ob rem plurimi inveniuntur pragmatici inter geographos, periegetas, (tam primo quam posteriore tempore) ceteroquin religiosi cultus tenacissimos (3).

Documenta et indicia iam offerunt Acusilai fragmenta, quamvis sint parca: testatur idem de Charace Eusta-

---

(1) Quo sensu dicitur »pragmatica" satis facile intelligitur, non eo latiore sensu, qui valet in historia sc. ea enarrandae historiae ratio, quae causas et eventa rerum gestarum explicat; cf. quae de pragmaticis et allegoricis leguntur apud BOETTIGERUM, *Künstmythol.*, I, p. 166—186 et BLUM, *Einl. zür alten Gesch. Roms*, p. 97, explicans hujus historiae scribendae mythorumque explicandorum rationem. In Ionia plurimae gentes inter se permiscebantur simul cum mythis deorumque cultu. Non mirum igitur, ut animadvertit Blum, »wenn hier der denkende Mensch, in seinem alther gebrachten Glauben erschüttert, sich zum Nachsinnen über die Masse sich widersprechender oder durchkreuzender Sagen, Vorstellungen und Formen der Gottesverehrung hingezogen gefühlt hatte."

(2) Exposuit hac de re LOBECK, *Aglaophamus*, p. 987. *Epimetrum*, VIII. Praeter exempla, quae sequuntur infra, attulit Herodorum Heracleoten, superbissimum antiquarum fabellarum interpretem, qui Atrei arietem portentosum nihil aliud quam poculum aureum sigillatum fuisse contendit, *Ath.* 231. Atlantem vero astrologum, Promethei autem tormenta et liberatorem ejus Herculem sic interpretatus ut Aeëtum fluvium Promethei regis Scythici agros arrodentem, ab Hercule derivatum esse diceret, *Schol. Apoll.*, II, 1251.

(3) Herodotus, Strabo, Pausanias.

thius (1), neque aliena fuisse videtur haec mythorum interpretandorum ratio ab Heraclito et Dionysio (2).

Magis perspicua tamen res in Hecataeo, qui simul simplicis rationis et methodi praebet specimen.

Cerberus, ita interpretatur Hecataeus, non est canis sed anguis (3); non in insula Erythia, sed in Epiro, circum Ambraciam habitavit Geryon, quocum certavit Hercules (4); non descendit ad inferos Ulixes (5); declarat idem Hecataeus, se nihil scripturum, nisi quod sibi ipsi verum videatur; saepe enim ridiculas esse fabulas Graecorum. Quid autem? facit noster pragmaticus Phrixi arietem loquentem (6), et ita genealogiae studio abripitur, ut famîliae suae originem a diis derivet, quam ob rem ab Herodoto ludibrio habetur (7).

Eandem fere atque Hecataeus iniit in interpretando rationem Ephorus.

Teste Strabone (8), increpat *φιλομύθους*; multa praeclara dixit de tradendis antiquis fabulis (9).

Sed praeter testimonia veterum (10), iam ex ipsis

---

(1) Eustath., *ad Odyss.*, 8, p. 1504.

(2) De eo Lobeck, l. c. p. 990 seqq. eum praecipue specto, quem Diodorus Siculus secutus esse videtur; cf. Diod Sic. III, 52, Cujas ille fuit, Mitylenaeus an Samius an Milesius in incerto relinquo propter ambigua veterum testimonia.

(3) Paus., l. III, c. 25: *ἀλλὰ Ἑκαταῖος μὲν ὁ Μιλήσιος λόγον εὗρεν εἰκότα ὄφιν φήτας ἐπὶ Ταινάρῳ τραφῆναι δεινὸν κληθῆναι δὲ Ἅιδου κύνα.* Cf. l. IV, 2, 3, de Oichalia: *Ἑκαταῖος δ' ὁ Μιλήσιος ἐν Σκίῳ μοίρᾳ τῆς Ἐρετρικῆς ἔγραψεν εἶναι Οἰχαλίαν.*

(4) Fragm. 341.

(5) Fragm. 2.

(6) Fragm. 337.

(7) Herod., II, 73, 143. Fragm. 292.

(8) IX, p. 422.

(9) Harpocr. in v. *ἀρχαίως*.

(10) Strabo, IX, p. 422.

fragmentis (1) patet, idem fere de eo ac de Hecataeo valere; non minus ridicula est critice quam fabulae. Est haec etiam celebratae Herodoti critices pars, ut, quod in mythis difficile ipsi intellectu videatur, interpretetur (2); imo in Thucydide huius rationis inveniuntur, quamvis satis raro, vestigia (3).

Fuit tamen haec via levis et lubrica, periculosa cultui; quot mythi tot explicationum genera (4).

Ubi persisterent pragmatici? Nam fieri non potuit, quin pragmaticus, qui mythos emendare inciperet, deinde naturam divinam denegaret heroibus, et eo denique perveniret, ut *deos* advenas, reges fuisse contenderet.

Allegoria posterioris temporis est et floruit *post* Euhemerum (5); fuerunt praecipue Stoici, qui ad eam incubuerunt (6).

Quatenus tamen initia ante Euhemerum reperiantur, de iis paucis etiam videamus. Est valde contraria pragmaticorum rationi allegoria: hanc defendunt philosophi, illam geographi et historici: deos majorum gentium ipsos adesse praesentes, negabant alle-

---

(1) Fr. 70.

(2) Saepe quidem sublimius de diis cogitavit I, 131; II, 142. Anthropismum, quo laborabat graecorum cultus quasi perspicere videtur; mortales a diis originem habere negat, theophanias ridet saepe; ceteroquin stultioribus, ut supra vidimus, narratiunculis fidem habuit easque tradidit. Cf. e. g. ratio qua Ius casus a fabulis sejungere conatus est; add. IV, 55.

(3) Cf. hac de re NITZSCH, *Philol. Studien*, p. 443.

(4) »Neque injuria Plato in Phaedro hoc totum negotium improbat, quia si tres aut quatuor fabulae hoc modo explicitae fuerint, innumerabiles aliae restant interpretum acumen elusurae.'' LOBECK, *Aglaoph.*, p. 983.

(5) BÖTTIGER, *Kunstmythol.*, I, p. 177; PRELLER, I, p. 84—95.

(6) Chrysippus, v. c. CIC. *N. D.*, I, 14, 35, 15, 40.

gorici; quin, nonnulli (1) heroas et reges, qui apud Trojam certassent, naturae esse vires censebant.

Augetur in cultu anthropismus per pragmaticos; occupat polytheismi locum pantheismus per allegoricos; deos fuisse natura humana, hominum forma, facultatibus, vitiis praeditos, omnino negabat allegoricus.

Extitit allegorica interpretatio apud antiquos philosophos (2). Primum allegoricum merito dixeris Xenophanem, qui Homerum et Hesiodum, quod humanam diis naturam, humanamque attribuissent formam, increpuerit, vel potius Theagenem, ex urbe Rhegio, inter annos 529—521 florentem, qui Homerum allegorice dicitur esse interpretatus et scripsisse *τρόπον ἀπολογίας* ad defendendum Xenophanem. Neuter tamen ex iis, quae ad nos venerunt, penitus cognoscitur, neque quantum valuerit eorum doctrina, indicatur.

Idem volebant Anaxagoras (3) ejusque discipulus Metrodorus (4), quos sequuntur sophistae et praesertim Protagoras, Hippon, Diagoras. Itaque eorum tem-

---

(1) Metrodorus (LOBECK, l. c. p. 156) »Metrodorus enim, quem Diogenes narrat *πρῶτον σπουδάσαι τοῦ ποιητοῦ περὶ τὴν φυσικὴν θεραπείαν*, deos Homericos ad naturae substantias, sicut Tatianus refert, et ad vicissitudines elementorum traduxit." HESYCHIUS: *Ἀγαμέμνονα τὸν αἰθέρα Μητρόδωρος εἶπεν ἀλλεγορικῶς*, cf. quae sequenti pagina leguntur.

(2) »Hanc interpretationem non mediocriter confirmavit physicorum consuetudo, causas rerum genitales viresque naturae fictrices et quatuor prima corpora deorum vocabulis nuncupandis, cujus tropologiae nullum extat in Homeri carminibus exemplum in Parmenidis vero, Heracliti et Empedoclis scriptis plurima." LOBECK, l. c. p. 157.

(3) DIOG. LAERT., II, 11.

(4) De quo supra iam vidimus Haec addantur: Secundum Metrodorum (TATIAN. *Adv. Graec.*, p. 260 D) Juno, Minerva, Jupiter erant *φύσεως ὑποστάσεις καὶ στοιχείων διακοσμήσεις*: idem valebat de Hectore, Achille et Agamemnone.

Praeter eum Stesimbrotus, Glaucon, Anaximander Lampsacenus

pore legimus deorum spretorum prorsusque negatorum mota crimina, reosque damnatos. In comoedia ridentur hae deorum explicationes, quae a cultu vulgari adeo abhorrebant, quas minime intelligebat populus.

Praeter haec vero pragmaticorum et allegoricorum primaria interpretationum genera, quibus ii sunt usi, quorum sententiae a cultu Homerico distabant, restat referre tertium genus: volumus inter philosophos et poetas quosdam, qui ob animi praestantiam et nobilitatem id spectabant, ut cultum iis, quae de diis indigne essent dicta, purgarent, cui eo modo excultiores conciliarent. Exempla sunt Plato et Pindarus. Iam intelligens Plato, sublimiores de diis philosophorum notiones vulgus capere non posse, quos coleret *deos* tamen esse, *divinae* non humanae naturae participes, docuit (1). Ex ipsius judicio Pandarum *non* illiciunt dii ad fidem laedendam: nunquam hominibus calamitates inferunt, nisi quae ipsis sint salutares (2). Invehitur in poetas, quod poematibus tot tantaque inseruerint diis indigna.

Idem voluit inter poetas Pindarus.

Agit potissimum de ejusmodi mythis, quibus diis indigna continentur, quos interpretari vel rejicere studet, calumniis mendaciisque oppletos (3).

Nunquam diis caesum filium apposuerat epulandum Tantalus, neque Demeter consumserat humerum, ex sententia Pindari. Non fefellit deum, cui omnia nota,

---

(LOBECK p. 157) iisdem rebus occupantur omnes, ad quaerendam sc. et explicandam τὴν τοῦ Ὁμήρου ὑπονοίαν.

(1) *R. P.*, II, p. 378—383, III, p. 388—92. *Leges*, IX, 858. D.

(2) *R. P.*, II, p. 380.

(3) Exempla prodeunt *Ol.* IX, 54 = 35. Ita *Ol.* I, 40—55 = 26—35 et 75—81 = 47—51.

Coronidis perfidia, neque erat opus nuntio, qui filii nuntiaret periculum; ipse hunc eripuit flammis (1).

Animadvertendum sane, quantopere apud Pindarum praestent heroïbus dii: saepe enim heroes more hominum malefaciunt et peccant; Id vero de diis nunquam dici potest (2).

Si breviter complectimur dicta, haec teneantur: Graecorum dii nec per omnia tempora, nec per omnes civium ordines aeque pie culti sunt; cultus extitit vulgi et eruditorum, neque inter eruditos de diis semper constiterunt notiones, ita ut quadruplex, ut exemplo utar, Jovis ante Euhemerum fuisse cultus videatur:

Vulgus colebat Jovem, qualis in Homeri et aliorum poetarum carminibus describebatur.

Allegorici Jovem, quem coleret vulgus, nihil esse statuebant, nisi unam pluresve naturae vires, virtutes vel ingenii dotes.

Pragmatici eum ipsum deum esse non negavit, multos tamen, qui de eo tradebantur, mythos, duce historia et geographia, mutabant.

Philosophi, *cultus tenaces*, v. c. *Plato* Jovem coluit, liberum humanae naturae vitiis.

Euhemerus denique omnino Jovem deum fuisse negavit, sicut omnia, quae Olympum habitarent, numina. Fuit Jupiter rex, mortalis, multo inferior diis quos ipse statuebat.

Sed de his postea tradetur.

---

(1) Pyth. III, 46=27 seqq.

(2) Pyth. IX, 71=40. Nil in deorum vita vituperandum; heros tamen saepe κέρδει καὶ σοφίᾳ δέδεται (Pyth. III, 96 = 54.)

CAPUT III.

EUHEMERUS, AETAS, PATRIA, *ἱερὰ ἀναγραφή*.

Defloruerat Graecia post pugnam Chaeronensem (1). Fuit magna ejus ruina graviterque concidit, quum Alexandrum victorem quoquo versus sequens, amissa libertate, prioris tantum temporis gaudebat majorumque praestantia. Multo stetit pax, quies, quam tandem tandemque defessis praebuit civitatibus regia potestas (2): fuit mortis quasi quies, neque Alexandri expeditione reviviscebat neque recreabatur Graecia. Omnem quidem regiae magnificentiae apparatum ob

(1) Cf. BERNH., *Grundr. der Gr. Litt.*, p. 454—464 seqq. et iam antea, p. 417.

(2) Recte igitur GERLACH, *Hist. Stud.*, p. 139. Ohnedem waren durch Habsucht, Zwietracht und maaszlose Herrscherbegier, die Kräfte der Einzelnen so zersplittert, dasz selbst die Trümmer althergebrachter Freiheit nur im Sonnenglanze königlichen Schutzes sich behaupten konnten. In Zeiten innerer Auflösung und Zerrissenheit gewährt Herrscherkraft oft die einzige Rettung von völligem Untergang."

oculos posuit Asia, gratus quidem novarum rerum aspectus: evanuisse tamen e Graecis simul cum libertate ingenium videbatur; ne in litteris quidem profecerunt Graeci illa expeditione; multis in rebus Asiae profuit Graecia; nihil fere compensavit Asia (1).

Ne solum ad historiam et cultum animum advertamus, pluribus aliis rebus confirmantur supra dicta.

In *litteris* enim perventum est ad πολυμαθίας et πολυγραφίας aetatem (2): sicut majorum praestantia gloriabantur Graeci, ita in litteris majorum fruebantur thesauris. Novi fere nihil proferebant, nisi quod imitabantur compilabantque. Addiscebatur lingua; addiscebatur quasi poesis multo cum studio, multis ex libris depromta (3).

Inserviebat *ars* regum magnificentiae et luxuriae (4): ingentis immanisque magnitudinis aedificia, templa, statuae, mira velocitate, nulla fere subtilitate et elegantia exstructa. Quemadmodum iam olim comoedia tractare argumenta desiit, quibus cives, eorumque vitia notabantur, ita *ars oratoria* quasi cum naufragio civitatis interiisse dici potest: nam verborum modo splen-

---

(1) Recte de hoc tempore BERNH., I, § 79, p. 454: »Mit dem Volke der Hellenen mit seiner Freiheit und Selbstandigkeit erlosch die antike Denkart und schöpferische Kraft . . . . eine nicht auszufüllende Kluft schied von ihm seine Nachkommen seit Alexander", u. s. w.

(2) »Daher wurde der Kreis des Propaedeutik und allgemeine Bildung (ἐγκυκλίος παιδεία) in dem Maasze erweitert, dasz die Jugend Grammatik, Rhetorik, Dialektik, Geometrik, Musik nach einander lernen musste", Bernh. p. 461.

(3) De poëtis Alexandrinis ita BERNH. II, 1019 et I, 476: »Ein originales Werk begehrte Niemand, destomehr ein pünktiches Detail, eine Reproduction der im Schoosse der klassischen Litteratur gehäuften Schatze, verbunden mit der neuesten Wissenschaft."

(4) Spectamus novas urbes et ingentia templa, in quibus magnae novorum deorum statuae.

dorem formarumque munificentiam ostentabat, neque amplius in rerum publicarum stadio exercebatur et excolebatur.

Quid vero de historia? Num illa se erexit?

Certe, novi se aperiebant fontes, ignotas gentes regionesque adibant Graeci!

Chronologia emendatior et geographia nunc demum ad historiae utilitatem adhiberi posterant (1)!

Contrarium tamen fiebat (2). Narrant Alexandri temporis scriptores, Anaximenes, Callisthenes, Clitarchus aliique fabulosa garrulitate multa de iis, quae viderunt et non viderunt, mythorum numerum augent.

Οὐ δὲ τοῖς περὶ Ἀλεξάνδρου συγγράψασιν ῥάδιον πιστεύειν τοῖς πολλοῖς, ait Strabo et recte quidem, nam miraculosa insunt multa; lectorum delectationi magis studuerunt quam historiam scripserunt.

Maxime tamen Alexandri expeditione et commercio usuque cum Asia tangebatur et concutiebatur cultus deorum, quatenus extabat. Crevit sane cultuum deorumque numerus (3); fabulae mythique cujusvis generis ex longinquis Asiae partibus petita, excipiebantur; magis magisque tamen discedebant et disjungebantur a vulgi cultu philosophi doctique.

Non amplius impediebat civitas (4), quominus palam

---

(1) Eratosthenes, Timaeus significantur: antiquitatum specimina praebuit Polemon.

(2) Ulrici, p. 51 seqq.: »Anstatt bei dem gewonnenen Zuwachs an Stoff auf das Gebiet der historischen Wirklichkeit sich desto strenger zu beschränken, scheinen sie gerade mehr als ihre Vorgänger das Reich der Mythen und Fabeln in die Geschichte hineingezogen zu haben."

(3) Cf. Krahner, p. 32. Spectatur novorum regum apotheosis v. c. Ptolemaeorum et Berenices. Cf. etiam p. 24 et 25.

(4) Nisi apud eosdem Ptolemaeos, qui deorum cultum institue-

et coram omnibus non solum quid de diis sibi videretur, enuntiarent, imo deorum cultum ludibrio verterent (1).

Incidit in hoc tempus, quo omnia antiqua obsoleverant, Euhemerus ejusque *ἱερὰ ἀναγραφή*. Fuit Cassandri regis amicus (2) et ejusdem mandatu munia quaedam regia obire et longinquas peregrinationes instituere cogebatur. Ante annum 309 a. chr. *βασιλεὺς* nominari non potuit Cassander: tum demum ultimum Alexandri filium Herculem interfecerat propulsaratque impetus Ptolemaei et Demetrii Poliorcetae. Mortuus est Cassander anno 297. Inter annos 309 et 297 igitur Euhemeri virilis aetas ponenda (3).

Diversa apud veteres testimonia de eius patria.

Fuit Agrigentinus, teste Clemente Alexandrino et Arnobio, vel Ceus, ut tradit Athenaeus; dicitur natus esse ex urbe Tegea apud Plutarchum aliosque (4).

Consentiunt inter se Eratosthenes, Polybius, Aelianus, Lactantius et Plutarchus (secum pugnans), ex civitate Messene eum ortum tradentes (5).

Attamen unus idemque significatur Euhemerus neque

---

bant et servabant, qualem putat Critias (WELCKER, II, 46), sc. inventum ad populum decipiendum et coercendum.

(1) Extitit praeterea, quod numquam antea cognoverant Graeci philosophia sc., quae de cultu ejusque disputabat ratione.

(2) DIOD. SIC., fragm. apud Euseb., *Praep. Evangel.*, II, 2: *Εὐήμερος μεν οὖν φιλὸς γεγονὼς Κασσάνδρου βασιλέως καὶ διὰ τοῦτον ἠναγκασμένος κτλ.*

(3) Potuit igitur Callimachi tempore *ἀλαζὼν γέρων* vocari.

(4) CLEM. ALEX., p. 7, ARNOB., *Adv. gent.*, IV, 29; ATHEN., XIII, p. 658; PLUT., *de plac. philosoph.*, p. 880, D.

(5) ERATOSTH., *Strab.*, I, p. 47, et POLYB., *apud eundem*, II, p. 104; AELIAN., *Var. Hist.*, II, 31; LACTANT., *Div. instit.*, I, 11; PLUT., *de Is. et Osir.*, c. 25.

testimoniorum diversitas miranda; vagatus enim esse videtur: saepe fortasse expulsus in exilium abibat.

Verisimilius videtur, eum natum esse ex civitate Messana, ut dicit LACTANTIUS et quidem Messanae Siculae. Nam utraque urbs in Sicilia et Peloponneso significari potuit voce »Μεσσήνιος." Quamquam enim Polybius, Euhemeri fere aequalis, proximus saltem aetate, e Peloponneso ortus, urbem Peloponnesiacam indicare videtur; plura tamen movent, ut Siculum Euhemerum habeas. Nam neque Polybii testimonio excluditur Sicilia: et alia testimonia opinionem nostram confirmant, quippe quae *Agrigentinum* eum nominant (1).

Praeterea hanc ob rem facile credimus Siculum fuisse, quod ex insula Sicilia verisimilius est Euhemeri opus pervenisse ad Romanos (2), quam e Peloponneso.

Ceteroquin nihil constat.

Supra dictis si addiderimus, eum non injuria Cyrenaïcis annumeratum et discipulum Theodori esse vocatum (3), quod patet ex SEXTO EMPIRICO *Adv. Mathem.* IX, 51, ubi ob eandem rem utriusque nomina citantur, neque minus ex simili cogitandi ratione in contemnendis vulgi diis, nihil restat de Euhemeri vita enarrandum.

Pervenimus igitur ad ἱερὰν ἀναγραφήν.

Ita enim inscribebatur Euhemeri liber, quod vertit BÖTTIGER per vocem »Tempelarchiv" (4). Praestat latiore sensu libri explicare inscriptionem; significat nempe: »sacram historiam" sive »librum sacrum."

---

(1) Sunt verba Lactantii »ex civitate Messana." Num Messene Peloponnesiaca dici potuit *Messana ?*

(2) CIC., *Nat. deor.*, I, 42. ARNOB., l. c. et alii.

(3) KRUG, *Gesch. der Philos. alter Zeit.*, p. 191; BERNH., I, p. 467.

(4) BÖTTIGER, *Kunstmythol.*, I, p. 188 affert HEYNII testimo-

Nam licet columna aurea Jovis Triphylii templi in insula Panchaia primarius fuerit Euhemeri fons (1), iam ex paucis, quae nobis sunt servata fragmentis, aliis quoque fontibus argumentisque usum fuisse Euhemerum dilucide patet: pyramidum (2) et aliorum monumentorum sepulcrorumque inscriptiones, porro sacerdotum narrationes, v. c. Sidone auditae, fontes ab eo habebantur, ut historiam divinorum hominum, divinam, sacram (geschiedenis van heiligen) in libros divisam (3), scriberet (4).

Quid autem? Num omnia ab Euhemero tradita, quae quatuor libros occupasse idem memorat BOETTIGER, in una columna scripta fuissent?

Hoc denique animadvertendum, LACTANTIUM, Ennii exemplum secutum, libri titulum per »sacram historiam" esse interpretatum. Sed videamus de argumento libri.

Ordinantur loci, ubi apud veteres de Euhemero vel libro ejus fit mentio, praecipue in hunc modum:

A. ubi argumenti, quod habet liber, traditur pars.

---

nium et CREUZER, *Histor. Kunst der Griechen*, p. 71. Sunt HEYNII, verba *Comm. Gött.* XIV, p. 129) »in binis templis *sacerdotum* successiones notatas ad nos pervenisse novimus: altera est ἀναγραφή sacerdotum Argivarum, altera sacerdotum Sicyoniorum." Inde tamen nihil fit conspicuum, nisi quod in duabus modo Graeciae urbibus hujusmodi fuerunt ἀναγραφαί.

(1) LACTANT., I, 11: »maximeque infano Jovis Triphylii."

(2) PLIN., *Hist. Nat.*, XXXVI, 17: »qui de iis (pyramidibus) sripserunt sunt Herodotus, Euhemerus, Duris Samius" etc.

(3) Nam diviserat ἱερὰν ἀναγραφήν in libros. Quot fuerint, non constat: memorat Athenaeus librum tertium; de libro quarto nihil constat.

(4) Haud inepte enim HIERON. COLUMNA, *Ennii fragmenta*, ed. HESSEL, pag. 312: »non quod haberet ipse sacram, quia res sacras contineret, sed vel juxta vulgi opinionem vel ironia ludens, eo titulo librum insignivit."

B. ubi judicium, quod fertur de Euhemero ejusque opere, confirmatur locis, ex opere laudatis.

C. ubi testimonia geographorum, maxime ad Panchaïam pertinentia, afferuntur.

A.

Tradunt argumenti partes ampliores DIODORUS SICULUS et LACTANTIUS.

Legebatur locus Diodori in Βιβλιοθήκης ἱστορικῆς libro sexto perdito, quem servavit EUSEBIUS, *Praep. euang.*, lib. II, c. 2 (p. 59 D).

Maximum praebet momentum hoc Eusebii fragmentum ad libri argumentum cognoscendum: quae apud Diodorum inveniuntur lib. V, cap. 42 seqq., ubi pluribus verbis depingitur insula Panchaia, ex Euhemeri opere quidem videntur depromta, (indicat hanc descriptionem Diodorus libro sexto) (1), magis tamen operis orationem coloremque significant quam argumenti auctorisque sententiae praebent specimina.

Versionis Ennianae reliquiae inveniuntur apud LACTANT., »*de falsa religione*", lib. I, cap. 11, 13, 14, 17, 22 et »*de ira dei*" cap. 10 et 11.

Conveniunt inter se in iis, quae de diis narrant Diodori Lactantiique loci, neque ab hac dissertationis parte alienum videtur, neque supervacaneum congruentia ostendere. Exscribemus igitur fragmentum Eusebianum, ut ἱερᾶς ἀναγραφῆς argumenti sibi redintegrent memoriam lectores, faciliusque instituatur comparatio.

Omittemus quae amplius de deorum historia secundum Euhemerum exposuit Lactantius quam Diodorus (*amplius*, dico, non *aliter*), ne aliorum diligentia one-

---

(1) ὧν τὰ κατὰ μέρος ἐν ταῖς πρὸ ταύτης βίβλοις ἀναγεγράφαμεν.

rosum fiat nostrum opusculum (1). Si exscribendo pervenerimus ad insulam Panchaiam, breviter complectemur quae de ea narravit Diodorus, lib. V, cap. 41—47.

»Περὶ θεῶν", ita legitur fragmentum Eusebianum, τοίνυν διττάς οἱ παλαιοὶ τῶν ἀνθρώπων τοῖς μεταγενεστέροις δεδώκασιν ἐννοίας. τοὺς μὲν γὰρ, ἀϊδίους καὶ ἀφθάρτους εἶναί φασιν, οἷον ἥλιον καὶ σελήνην καὶ τὰ ἄλλα τὰ κατ' οὐρανὸν ἄστρα· πρὸς δὲ τούτοις ἀνέμους καὶ τοὺς ἄλλους τοὺς τῆς ὁμοίας φύσεως τούτοις τετευχότας. τούτων γὰρ ἕκαστον ἀΐδιον ἔχειν τὴν γένεσιν καὶ τὴν διαμονήν. ἑτέρους δὲ λέγουσιν ἐπιγείους γενέσθαι θεοὺς διὰ δὲ τὰς εἰς ἀνθρώπους εὐεργεσίας, ἀθανάτου τετυχηκότας τιμῆς ναὶ δόξης, οἷον Ἡρακλέα, Διόνυσον, Ἀρισταῖον καὶ τοὺς ἄλλους τοὺς τοιούτους ὁμοίως. περὶ δὲ τῶν ἐπιγείων θεῶν πολλοὶ καὶ ποικίλοι παραδέδονται λόγοι παρὰ τοῖς ἱστορικοῖς τε καὶ μυθογράφοις. καὶ τῶν μὲν ἱστορικῶν Εὐήμερος ὁ τὴν ἱερὰν ἀναγραφὴν ποιησάμενος ἰδίως ἀνέγραψε· τῶν δὲ μυθολόγων Ὅμηρος καὶ Ἡσίοδος καὶ Ὀρφεὺς καὶ ἕτεροι τοιοῦτοι τερατωδεστέρους μύθους περὶ θεῶν πεπλάκασιν. ἡμεῖς δὲ τὰ παρ' ἀμφοτέροις ἀναγεγραμμένα πειρασόμεθα συντόμως ἐπιδραμεῖν στοχαζόμενοι τῆς συμμετρίας. Εὐήμερος μὲν οὖν φίλος γεγονὼς Κασσάνδρου βασιλέως καὶ διὰ τοῦτον ἠναγκασμένος τελεῖν βασιλικάς τινας χρείας καὶ μεγάλας ἀποδημίας φησὶν ἐκτοπισθῆναι κατὰ τὴν μεσημβρίαν εἰς τὸν ὠκεανόν. ἐκπλευσάντα καὶ αὐτὸν ἐκ τῆς εὐδαίμονος Ἀραβίας ποιήσασθαι τὸν πλοῦν δι' ὠκεανοῦ πλείους ἡμέρας καὶ προσενεχθῆναι νήσοις πελαγίαις (2).

---

(1) Ennianae versionis fragmenta, a Lactantio relata, colligebantur ab HIERON. COLUMNA, ed. *Hessel*, p. 113, et *Mémoires de l'Acad. des inscript.*, tom. XXXIV, ubi de Euhemero agit FOUCHER, p. 440.

(2) L. c. *καὶ τῶν μὲν ἱστορικῶν Εὐήμερος*: Refertur igitur Euhe-

Prima (ita enumerat et depingit eas Diodorus V, 41) vocatur sacra, in qua mortuos sepeliri nefas; altera, non procul ab ista, septem circiter stadia distat in quam cadavera exstinctorum deportata, sepulturae tradunt. Thuris tantam copiam gerit, ut ad honorem deorum per totum orbem terrarem sufficiat. Ceterorum quoque aromatum genera producit. Arbor thuris florem gerit aurei coloris et quae in bona existunt terra, bis fructum emittunt. Sic plura de altera insula traduntur in fine cap. 41 et initio 42, quae longum erat omnia proferre.

»Τούτων", ita Eusebii pergit fragmentum, *μίαν ὑπερέχειν τὴν ὀμομαζομένην Παγχαίαν ἐν ᾗ τεθεᾶσθαι τοὺς ἐνοικοῦντας Παγχαίους εὐσεβείᾳ διαφέροντας καὶ τοὺς θεοὺς τιμῶντας μεγαλοπρεπεστάταις θυσίαις καὶ ἀναθήμασιν ἀξιολόγοις ἀργυροῖς τε καὶ χρυσοῖς. εἶναι δὲ τὴν νῆσον ἱερὰν θεῶν καὶ ἕτερα πλείω θαυμαζόμενα κατά τε τὴν ἀρχαιότητα καὶ τὴν τῆς κατασκευῆς πολυτεχνίαν, περὶ ὧν τὰ κατὰ μέρος ἐν ταῖς πρὸ ταύτης βίβλοις ἀναγεγράφαμεν*" (1).

Et revera multis verbis superiore libro tertiam harum insularum, Panchaiam, descriptam invenimus. Ne omnia transscribamus, primaria videamus.

Est insula ampla, XXX stadiis a secunda remota, in que Eois Oceani tractibus jacens, multorum longitudine stadiorum. Incolae ex diversis populis sunt

---

merus a Diodoro ad historicos, quare eo potius perducimur ut vertamus vocem *ἀναγραφήν* per »historiam".

(1) *τοὺς ἐνοικοῦντας Παγχαίους εὐσεβείᾳ διαφέροντας καὶ τοὺς θεοὺς τιμῶντας μεγαλοπρεπεστάτοις θυσίαις καὶ ἀναθήμασιν ἀξιολόγοις ἀργυροῖς τε καὶ χρυσοῖς: εἶναι δὲ τὴν νῆσον ἱερὰν τοῖς θεοῖς.* Quos deos verebantur? quibusnam diis insula sacra? Sunt magni momenti haec verba ad indicandam injuriam, qua atheismi accusabatur Euhemerus, de quibus postea.

collecti : praeter indigenas, Panchaeos, scilicet: Oceanitae, Indi, Cretenses, Scythae. Celebris in ea insula urbs Panara.

Cives ejus Jovis Triphylii supplices nominantur; *quotannis tres constituunt principes.* Ab hac urbe LX stadia circiter distat Jovis Triphylii templum, quod in magna veneratione habetur. Describitur deinde (cap. 43) agri amoenitas arborumque varietas, templum et alia loca, insulae animalia et urbes. Erant incolarum tres classes: sacerdotes, agricolae, milites; *sacerdotes rerum omnium sunt duces et arbitri.*

Neque praeterit in describendo eorum vestitum et habitum, sicut militum usum. Genus sibi ex Creta esse sacerdotes praedicant, unde a Jove, cum inter homines versans orbi terrarum imperaret (1), in Panchaiam deducti sunt. Pro argumento hujus rei afferunt sermonem, dum multa sibi linquae Cretensis vocubula remanere ostendunt. Inscriptiones quoque monstrabant, ab ipso Jove exaratas, quo tempore cum mortalibus vitam agens, templi illic fundamenta jecit.

Finem fecit descriptione aliorum in insula memorabilium, metallorum et ornamentorum, diis dicatorum.

Εἶναι δ' ἐν αὐτῇ κατά τινα λόφον ὑψηλὸν καθ' ὑπερβολὴν ἱερὸν Διὸς Τριφυλαίου, καθιδρυμένον ὑπ' αὐτοῦ, κάθ' ὃν καιρὸν ἐβασίλευσε τῆς οἰκουμένης ἁπάσης ἔτι κατὰ ἀνθρώπους ὢν. ἐν τούτῳ τῷ ἱερῷ στήλην εἶναι χρυσῆν, ἐν ᾗ τοῖς Παγχαίοις γράμμασιν ὑπάρχειν γεγραμμένας τάς τε Οὐράνου καὶ Κρόνου καὶ Διὸς πράξεις κεφαλαιωδῶς. μετὰ

---

(1) *ὅτε κατ' ἀνθρώπους ὢν ἐβασίλευε τῆς οἰκουμένης*, sic in fragmento Eusebii: *καθ' ὃν καίρον ἐρασίλευε τῆς οἰκουμένης ἁπάσης ἔτι κατὰ ἀνθρώπους ὥν*, iisdem fere verbis usus est Diodorus duobis locis, unde facile apparet libri V etiam Panchaïae descriptionem ex *ἱερᾶς ἀναγραφῆς* argumento esse depromtam.

ταῦτά φησι πρῶτον Οὐρανὸν βασιλέα γεγονέ ναι (1), ἐπιεικῆ τινα ἄνδρα καὶ εὐεργέτην, καὶ τῆς τῶν ἄστρων κινήσεως ἐπιστήμονα· ὃν καὶ πρῶτον θυσίαις τιμῆσαι τοὺς οὐρανίους θεούς. διὸ καὶ Οὐρανὸν προσαγορευθῆναι. υἱοὺς δὲ αὐτῷ γενέσθαι ἀπὸ γυναικὸς Ἑστίας, Τιτᾶνα καὶ Κρόνον· Θυγατέρας δὲ Ῥέαν καὶ Δήμητραν (2). Κρόνον δὲ βασιλεῦσαι μετὰ Οὐρανὸν, καὶ γήμαντα Ῥέαν γεννῆσαι Δία καὶ Ἥραν καὶ Ποσειδῶνα (3) τὸν δὲ Δία (4) διαδεξάμενον τὴν βασιλείαν τοῦ Κρόνου, γῆμαι τὴν Ἥραν καὶ Δήμητραν καὶ Θέμιν, ἐξ ὧν παῖδας ποιήσασθαι Κουρῆτας μὲν ἀπὸ τῆς πρώτης, Περσεφόνην δὲ ἐκ τῆς δευτέρας Ἀθηνὰν δὲ ἀπὸ τῆς τρίτης· ἐλθόντα δὲ εἰς Βαβυλῶνα, ἐπιξενωθῆναι Βήλῳ καὶ μετὰ ταῦτα εἰς τὴν Παγχαίαν νῆσον, πρὸς ὠκεανῷ κειμένην, παραγενόμενον, Οὐρανοῦ τοῦ ἰδίου προπάτορος βωμὸν ἱδρύσασθαι (5). κἀκεῖθεν διὰ Συρίας ἐλθεῖν πρὸς τὸν τότε δυνάστην Κάσσιον, ἐξ οὗ καὶ τὸ Κάσσιον ὄρος. ἐλθόντα δὲ εἰς Κιλικίαν, πολέμῳ νικῆσαι Κίλικα τοπάρχην. καὶ ἄλλα δὲ πλεῖστα ἔθνη ἐπελθόντα παρ᾽ ἅπασι τιμηθῆναι (6).

---

(1) LACT.; I, c. 13, initio primus in terris imperium summum habuit Uranus (idem ac Coelus); is id regnum una cum fratribus suis instituit atque paravit.

(2) Ennius (LACT., I, c. 14): »Exin Saturnus duxit Opem. Titan, qui major natu erat, postulat ut ipse regnaret. Ibi Vesta mater eorum et sorores Ceres atque Ops suadent Saturno ut de regno non concedat fratri, seqq.

(3) »Deinde posterius nati sunt gemini Jupiter atque Juno.... item Neptunum clam Saturno Ops parit."

(4) Ennius (LACT. I, c. 11): »Jovi aquila consedit atque illi regnum pertendit."

(5) Ennius (LACT. lib. I, cap. 11) »Deinde Pan eum deducit in montem qui vocatur coeli stella; postquam ibi ascendit contemplatus est late terras ibique in eo monte aram creat Coelo, primusque in ea ara sacrificavit."

(6) Cetera Ennii fragmenta latius exponunt Jovis fata, quae paucis (nam utitur verbis Diodorus *συντόμως καὶ τῆς συμμετρίας*

Ταῦτα καὶ τὰ τούτοις παραπλήσια ὡς περὶ θνητῶν ἀνθρώπων περὶ τῶν θεῶν διελθών, κτλ.

Haecce Diodori et Ennii fragmenta si conferamus, non parum ea inter se convenire videmus; mirandum tamen, quod in Lactantii fragmentis vocabulum »Panchaia" ne nominatum quidem reperiatur. Fuisse tamen insulam in Ennii versione non solum nominatam, sed vividis etiam coloribus depictam, satis manifestum ex variis apud Romanorum poetas locis e. g. apud Virgilium, Georg. vs. 139, Tibullum l. III, eleg. 2, vs. 23, Lucretium lib. II, vs. 417, Ovidium Metam. X, vs. 307 (1), quos poetas in Ennii opere legisse nomen et descriptionem, non sine causa statuitur. Utriusque fragmenti auctoritas igitur confirmatur, et re vera partem τῆς ἱερᾶς ἀναγραφῆς genuinam continere ea videntur (2)."

Nam si Lactantius Diodoro modo tanquam fonte usus esset, quo modo silere potuit de Panchaïa, de qua praecipue sermocinatur Diodorus?

Aliud argumentum inde depromere queas, quod Lac-

στοχαζόμενος) retulit Eusebii fragmentum. Narrat enim Ennius (cap. 11) eum Olympo vixisse et jus dixisse, humano generi utilia collegisse, regnum divisisse inter fratres; cap. 12: eum terras circumisse, reges, principesve hospitio copulasse, templa sibi creari jussisse, ut sibi hospitibusque honor divinus vel perpetuum nomen acquireretur, nominis sui gratia ritus annuos et festa celebrari. Cap. 11: eum reliquisse hominibus leges, mores, multa alia bona fecisse et immortali gloria affectum fuisse. Sepulcrum ejus esse in insula Creta inque eo antiquis litteris graecis esse inscriptum: ZAN KPONOY.

(1) Virg. *Georg.* II, 120: »Totaque thuriferis Panchaia pinquis arenis"; IV, 375: »Panchaicis adolescunt ignibus arae." Ovid.: »Thura ferat floresque alios Panchaia tellus."

(2) Ea enim, quae affert in Lactantii auctoritatem dubia, vir doctissimus acutique ingenii Krahner, *Grundliniën*, p. 38: »es habe Lactanz die fraglige Historia sacra auf den Grund seiner Kenntniss des Euhemerus bei Diodor, und vielleicht auch einiger als Ennianisch bekannte Verse selbst zusammengesetzt" iniqua mihi videntur.

tantii fragmenta amplius de singulis agunt diis quam Diodorus, neque plura addidisse Diodorum quam refert Eusebii fragmentum verisimile est, quippe initio declarantem se *συντόμως* et *στοχαζόμενον τῆς συμμετρίας πειράσεσθαι ἐπιδραμεῖν*.

Usus esse videtur Diodorus opere genuino, Lactantius Ennii versione; eandem fere partem citant (nil mirum, nam agit de primis inter deos) et argumentorum convenientia apud utrumque fidem Ennianae auget versionis, de qua Cicero et Arnobius, ut postea videbimus.

B.

Alius generis sunt apud veteres ii loci, quibus paucis verbis judicium de Euhemero ejusque opere fertur, quod judicium nonnunquam affirmatur exemplis ex opere citatis.

Praecedant vero septem loci, ubi de minorum gentium diis et heroibus traditur Euhemeri sententia, qui tamen sub parte A minus facile ordinari potuerunt.

1°. LACTANTIUS, *de falsa relig.* lib. I, cap. 17 (1): »Quae prima (sc. Venus) artem meretriciam instituit, auctorque mulieribus in Cypro fuit, uti vulgo corpore quaestum facerent. Quod idcirco imperavit ne sola, praeter alias mulieres, impudica et virorum appetens videretur."

2°. ATHENAEUS Δειπνοσοφιστῶν, lib. XIII, p. 658. Εὐήμερος ὁ Κῷος ἐν τῷ τρίτῳ τῆς ἱερᾶς ἀναγραφῆς τοῦτ' ἱστορεῖ ὡς Σιδωνίων λεγόντων οὕτω ὅτι

(1) Habet ceteroquin hoc fragmentum suum locum inter fragmenta Enniana (COLUMN. ed. HESSEL); *vulgato* loco *vulgo* (*Ennian. poes. reliq. rec.* VAHLER).

Κάδμος μάγειρος ὢν τοῦ βασιλέως καὶ παραλαβὼν τὴν Ἁρμονίαν αὐλήτριδα καὶ αὐτὴν οὖσαν τοῦ βασιλέως ἔφυγε σὺν αὐτῇ.

3°. Hyginus, *Poeticon. astron*, lib. II, 12. »Euhemerus quidem Gorgona a Minerva dicit interfectam. 4°. Apud eundem, II, 13. »Euhemerus aït Aegam quandam fuisse Panos uxorem; eam, ab Jove compressam, peperisse, quem viri sui Panos diceret filium; Itaque puerum Aegipana, Jovem vero Aegiochum dictum, qui, quod eum diligebat plurimum, inter astra caprae figura memoriae causa collocavit." 5°. Apud eundem II, 42:

»Euhemerus autem primam aït Venerem astra constituisse et Mercurio demonstrasse."

6°.. Minucius felix, *Octavius*, p. 189:

»Lege Stoïcorum scripta vel sapientium, eadem mecum recognosces, ob merita virtutis aut muneris deos habitos. Euemerus exsequitur et eorum natales, patrias, sepulcra dinumerat, et per provincias monstrat: Dictaei Jovis et Apollinis Delphici et Phariae Isidis et Cereris Eleusiniae prodit. Is assumptos in Deos loquitur, qui arando inventis novis frugibus utilitati hominum profuere (1).

7°. Etym. M. in voce Βροτός: »Βροτός, ὡς μὲν Εὐήμερος ὁ Μεσσήνιος, ἀπὸ Βροτοῦ τινος αὐτόχθονος."

Hisce septem locis praemissis, sequuntur varia variis antiquitatis temporibus prolata testimonia de Messenii opere et consilio.

8°. Cicero, *de nat. deorum*, I, cap. 42 (2):

---

(1) Legebatur: »prodigiis assumptos", quod recte emendavit Sevin l. c. p. 107: »prodit. Is"; »arando" pro »errando."

(2) Ut notum, sunt haec verba C. Cottae refutantis Velleji sententiam, qui epicuream rationem de diis unam veram existimat.

»Tollunt, inquit, Cotta Epicurei adversus Deos pietatem, quum

»Quid? qui aut fortes aut potentes viros tradunt post mortem ad deos pervenisse, eosque esse ipsos, quos nos colere, precari, venerarique soleamus etc. Quae ratio maxime tractata est ab Euhemero, quem noster et interpretatus et secutus est Ennius praeter ceteros. Ab Euhemero autem et sepulturae et mortes demonstrantur deorum. Utrum igitur hic confirmasse an penitus totam sustulisse videtur religionem?"

9°. Plut., *de Is. et Osir.*, cap. 23 (1):

(Εὐήμερος) αὐτὸς ἀντίγραφα συνθεὶς ἀπίστου καὶ ἀνυπάρκτου μυθολογίας, πᾶσαν ἀθεότητα κατα σκεδάννυσι τῆς οἰκουμένης, τοὺς νομιζομένους θεοὺς πάντας ὁμαλῶς διαγράφων εἰς ὀνόματα στρατηγῶν καὶ ναυάρχων καὶ βασιλέων· ὡς δὴ πάλαι γεγονότων ἐν δὲ Πάγχοντι γράμμασι χρυσοῖς ἀναγεγραμμένων, οἷς οὔτε βάρβαρος οὐδεὶς οὔτε Ἕλλην ἀλλὰ μόνος Εὐήμερος ὡς ἔοικε πλεύσας εἰς τοὺς μηδαμόθι γῆς γεγο-

---

eos introducunt otiosos; nam superstitione facile est liberari cum sustuleris omnem vim deorum; qui omnino deos esse negabant, censes superstitiosos esse potuisse? A Diagora, Protagora, Prodico venit ad Euhemerum.

(1) Neque minoris momenti sunt verba, quae praecedunt cap. 22, et 23. Narrat Plutarchus Aegyptiorum quosdam de Tiphone et Osiride retulisse ὡς τῇ φύσει γεγονότας ἀνθρώπους, hisce verbis addens sequentia:

Ὀκνῶ δὲ μὴ τοῦτο ᾖ τὰ ἀκινητὰ κινεῖν καὶ πολεμεῖν οὐ τῷ πολλῷ χρόνῳ, κατὰ Σιμονίδην, μόνον πολλοῖς δ' ἀνθρώπων ἔθνεσι καὶ γένεσι, κατόχοις ὑπὸ τῆς πρὸς τοὺς θεοὺς τούτους ὁσιότητος, οὐδὲν ἀπολιπόντας, ἐξ οὐρανοῦ ἐπιφέρειν ἐπὶ γῆν ὀνόματα τηλικαῦτα καὶ τιμὴν καὶ πίστιν ὀλιγοῦδεῖν ἅπασιν ἐκ πρώτης γενέσεως ἐνδεδυκυῖαν ἐξιστάναι καὶ ἀναλύειν μεγαλὰς μὲν τῷ ἀθέῳ λέῳ κλισιάδας ἀνοιγόντας καὶ ἐξανθρωπίζοντας τὰ θεῖα, κτλ.

Sequitur nostrum fragmentum. Non disputat de Euhemeri systematis pretio Plutarchus; ponderat modo qualis erit effectus: concutiet piorum animos; hanc ob rem ab eo spernitur: Iam satis inde intelligitur, quanti aestimanda antiquitatis piae de Euhemeri operis sententia!

νότας μηδὲ ὄντας Παγχώους καὶ Τριφύλλους ἐντετυχήκει.

10°. Sext. emp, *adv. mathem.*, I, 17:

Εὐήμερος ὁ ἐπικληθεὶς ἄθεός φησιν ὅτ' ἦν ἄτακτος ὁ ἀνθρώπων βίος οἱ περιγενόμενοι τῶν ἄλλων ἰσχύϊ τε και συνέσει ὥστε πρὸς τὰ ὑπ' αὐτῶν κελευόμενα πάντας βιοῦν σπουδάζοντες μείζονος θαυμάσμου, καὶ σεμνότητος τυχεῖν ἀνέπλασαν περὶ αὐτοὺς ὑπερβάλλουσάν τινα καὶ θείαν δύναμιν ἔνθεν καὶ τοῖς πολλοῖς ἐνομίσθησαν θεοί.

11°. Festus s. v.: »*Sus Minervam*" in proverbio est, ubi quis id docet alterum, cujus ipse nescius est, quam rem Varro et Euhemerus ineptis mythis involvere maluerunt quam simpliciter referre."

12°. Lactantius aliis locis quam supra retulimus, sc. I, 11. »Antiquus auctor Euhemerus res gestas Jovis et ceterorum, qui dii putantur, collegit, historiamque contexuit ex titulis, inscriptionibus sacris, quae in antiquissimis templis habebantur, maximeque in fano Jovis Triphylii, ubi auream columnam ab ipso positam esse titulus indicabat, in qua columna gesta sua perscripsit, ut monumentum esset posteris rerum suarum."

Id. *de ira*, cap. 11 »Quorum praecipae Euhemerus — qui eorum omnium natales, conjugia, progenies, imperia, res gestas, obitus, sepulcra demonstrat."

13°. Arnobius, *adv. gentes:* l. c. »Et possumus quidem hoc in loco omnes istos, quos nobis inducitis atque appellatis deos, homines fuisse monstrare, vel Agrigantino Euhemero replicato, cujus libellos Ennius, clarus ut fieret, cunctis sermonem in Italum transtulit", etc.

14°. Augustinus, *de civit. dei*, lib. VI, c. 7:

»Quid de ipso Jove senserunt, qui ejus nutricem in Capitolio posuerunt?

Nonne attestati sunt Euhemero, qui omnes tales deos, non fabulosa garrulitate sed historica diligentia, homines fuisse mortales que conscripsit."

Sic libri VII, cap. 26:

»Nam quod Virgilius aït: »»Primus ab aethereo venit Saturnus Olympo, arma Jovis fugiens, et regnis exsul ademptis"" et quae ad hanc rem pertinentia subsequuntur, totam de hoc Euhemerus pandit historiam, quam Ennius etc."

15°. Theophilus, *Antioch. ad Autol.* III, p. 75:

Τὰ γὰρ περὶ Εὐημέρου τοῦ ἀθεωτάτου περρισσὸν ἡμῖν καὶ λέγειν. πολλὰ γὰρ περὶ θεῶν τολμήσας φθέγξασθαι, ἔσχατον καὶ τὸ ἐξ ὅλου μὴ εἶναι θεοὺς, ἀλλὰ τὰ πάντα αὐτοματίσμῳ διοικεῖσθαι βούλεται.

16°. Lydus, *de mensibus* p. 224, ed. Roether, ubi ita supplet Haase:

[ἢ ὡς πᾶσ]α ἡ ἱστορία κατὰ τὸν Εὐήμερον ποικίλλ[εται σοφῶς τὴν] τῶν λεγομένων θεῶν]ὑ]πο γράφουσα θε[ωρίαν.... ἀπο κρ[ύπτει.... [ὥστε καὶ κ]α[λῶς] ὀπ.... [ἐν τ]ῷ περὶ Διονύσου φησί κτλ. (1).

C.

Restant nonnulli loci, quibus minus de libri argumento agitur quam de fide, Euhemero praestanda, in

---

(1) Quibusdam locis nomen *Euhemeri* legitur loco *Eueni*, elegiaci et erotici poetae, de quo Artemid. I, 4. Εὔηνος ἐν τοῖς εἰς Εὐνόμον ἐρωτικοῖς et Arrian. Epict. IV, 9. ἀντὶ Χρυσίππου καὶ Ζήνωνος Ἀριστείδην γιγνώσκεις καὶ Εὔηνον.

Sic in fragm. posito post Censorini opus »de metris" agens. »Homerus, Hesiodus, Pisander, quos secuti elegiaci Callinus, Minervus, Eurectus (Cod); legendum est hoc loco et emendandum *Euenus*, non *Euhemerus*.

enarrandis et describendis quae de insula Panchaia protulit.

Nam discrepant veterum hac de re sententiae. Alia extant testimonia, quibus re vera fuisse Panchaia statuitur, alia autem quibus hanc ob insulam ipse inter mendaces auctor Euhemerus refertur scriptores, interque opera miraculorum repleta ejus liber.

Quum neque posterioris temporis auctores hac de insula consentiant (1), utrum fuerit necne, tam recentiorum quam veterum inter se comparare liceat opiniones.

Non parvi enim est ducenda ad Euhemerismum intellegendum haec quaestio, finxeritne insulam Euhemerus necne, porro si finxerit quo consilio, quare de industria a fide historica decesserit et aberraverit:

Tria poni possunt:

1°. Fuit revera insula Panchaïa, quam ipse vidit Euhemerus quamque facile tum et ex vero describere, potuit.

2°. Insulas quidem fertiles in peregrinationibus invenit multaque ex memorabilibus, quae exponit, ipse vidit; omnia deinde in unam reduxit insulam, cui fictum dedit nomen: cetera quoque de templo et aurea columna ad ornatum et lectorum alliciendos animos addidit.

3°. Neque insulam neque igitur templum et columnam aspexit, neque tamen, ut alii antiqui logographi et fabularum scriptores, fabulosa modo garrulitate fabulis mythisque implevit opus.

Jam vero multis non opus erit ostendere verbis ultimum modo vere poni posse.

---

(1) Cf. Krause, in *Encyclopädie*, *Ersch und Grüber* in voce Panchaïa.

Si nondum nobis Diodori descriptio (neque (2) sane nos retinet Siculi auctoritas fidesque historica), si nondum haec descriptio nobis sustulerit ex animo verae insulae Panchaiae fidem, multumque apud nos valent poetarum, et ecclesiasticorum testimonia: at obstant alia Euhemeri aequalium geographornm et oceani peritorum testium multo graviorum, qui tamen insulam Panchaiam unquam vel usquam fuisse prorsus negant.

Conferamus igitur Strabonem, qui et ipse Euhemero fidem denegat et testes affert Euhemeri fere aequales, Eratosthenem et Polybium.

1°. STRABO, p. 47. Increpat hisce verbis Eratosthenem, quod usus sit auctore Damaste:

"Οδὲ Δαμάστῃ χρώμενος μάρτυρι οὐδὲν διαφέρει τοῦ καλοῦντος μάρτυρα τὸν Βεργαῖον (1) ἢ τὸν Μεσσήνιον Εὐήμερον καὶ τοὺς ἄλλους οὓς αὐτὸς εἴρηκε διαβάλλων τὴν φλυαρίαν.

2°. STRABO, pag. 102: οὐ πολὺ οὖν ἀπολείπεται ταῦτα τῶν Πυθίου καὶ Εὐημέρου καὶ Αντιφάνους ψευσμάτων.

---

(1) De Diodoro ejusque temporis arte historiae scribendae ULRICI, p. 68: »Das mythische, fabelhafte wird zum Theil als solches mit Absicht und Bewusztsein beigefügt, als gehöre es zur Geschichte; es wird wie ein Zierath dem Ganzen angehängt, damit es in die Augen falle und anlocke. Anderen Theils scheute man die Mühe das Historische vom Unhistorischen zu sondern und überlies dies Geschäft lieber dem Leser selbst oder man hatte nicht einmal den Sinn dafür. So schlieszt sich in den ersten fünf Büchern Diodori das Historische sich so eng an das Mythische an, als sei beides durch aus derselben Natur." Cf. hoc judicio ipsius Diodori verba XX, c. 2. ὀφειλούσης γὰρ τῆς ἱστορίας τῇ ποικιλίᾳ κεκοσμῆσθαι.

(2) τὸν Βεργαῖον sc. Antiphanem; Steph. Byz. v. Βέργη et Βεργαῖος. Antiphanes historicus, geographus, comicus per antiquitatem notus ob mendacia, natus erat ex urbe Berge in Macedonia, unde Βεργαΐζειν ἀντὶ τοῦ μηδὲν ἀληθὲς λέγειν (Steph.) et Strabo, II, p. 100, Βεργαῖον διήγημα.

3°. Strabo, II, p. 104, ubi narrat, Polybium mirari quod Eratosthenes pluris Pytheae quam Euhemeri aestimarit fidem:

πολὺ δέ φησι (ὁ Πολύβιος) βέλτιον τῷ Μεσσηνίῳ πιστεύειν ἢ τούτῳ· ὁ μέν γε εἰς μίαν χώραν, τὴν Παγχαΐαν, λέγει πλεῦσαι κτλ. Attamen *Ἐρατοσθένη δὲ τὸν μὲν Εὐήμερον Βεργαῖον καλεῖν τῷ δὲ Πυθέᾳ πιστεύειν.*

4°. Strabo, VII, p. 299, ubi annumeratur Euhemerus iis, qui miraculis narrandis gaudent:

καὶ γὰρ ἔτι νεωτέρους ἐκείνου (Ὁμήρου) πολλὰ ἀγνοεῖν καὶ τερατολογεῖν...... παρ' Εὐημέρῳ δὲ τὴν Παγχαΐαν γῆν.

Hisce Strabonis, Polybii et Eratosthenis testimoniis accedunt duo apud Plutarchum loci, quorum primum, Plutarchi ipsius de insula Panchaïa opinionem indicantem, iam supra vidimus, p. 42.

5°. Alter locus Callimachi continet de Panchaïa Euhemeroque judicium et legitur apud plutarchum, *de plac. philos.* I, 7; hisce verbis: *Τὸν δὲ Εὐήμερον καὶ Καλλίμαχος ὁ Κυρηναῖος αἰνίττεται ἐν τοῖς Ἰάμβοις γράφων:*

Εἰς τὸ πρὸ τείχευς ἱερὸν ἁλέες δεῦτε
Οὗ τὸν πάλαι Παγχάϊον πλάσας Ζᾶνα
Γέρων ἀλαζὼν ἄδικα βιβλία ψῆχε κτλ.

Neque igitur Callimacho insula Panchaïa nota fuisse videtur, etsi Euhemeri fere aequali, et bibliothecae praefecto Alexandrinae, unde, sicut Eratosthenes, Callimachi discipulus, ipse si non indagaret insulam, fontes quaerere posset, qui hancce Oceani describerent partem.

Poetarum et aliorum posterioris aevi scriptorum testimonia Virgilii, Tibulli, Ovidii, Lactantii nihil valent ad geographorum verba refutanda: omnes enim Ennium

secuti esse potius videntur quam ipsi novas instituisse disquisitiones, vel itinera fecisse ad insulam quaerendam vel visendam (1).

Inter veteres igitur et secundum eorum testimonia constare videtur, insulam Panchaiam nunquam extitisse; contrarium tamen putat inter recentiores vir doctissimus Is. Vossius, ne ratio habeatur Salmasii et Harduini sententiarum (2).

Numerantur in monumento Adulitano populi, quos vicit Ptolemaeus Euergetes, interque eos: Ταγκαῖτες μέχρι τῆς Αἰγύπτου ὁρίων οἰκοῦντες. Habent Florentinus et Vaticanus Ταγκαῖτες, legit Vossius Παγχαῖτες.

Iam si probanda Vossii emendatio, non congruit locus, monumento indicatus, cum situ Panchaiae, de qua agit Diodorus, neque verisimile, Panchaïtes, si Ptolemaei subacti fuissent imperio, ignotos fuisse Callimacho et Eratostheni. Eadem emendatione usus, in rem suam confert POMPON. MELAM, lib. III, c. 8, ubi legitur: »extra sinum, verumtamen in flexu etiamnum modico Rubri maris, pars bestiis infesta ideoque deserta est: partem *Panchaei* habitant, quos ex facto, quia serpentibus vescuntur, Orphiophagos vocant; ubi vulgo legunt »Candaei". Praetermissa tamen emendatione, multum profecto distant inter se »pars bestiis infesta ideoque deserta" et »Panchaei, qui serpentibus vescuntur" ab insula et insulanis, de quibus egit Euhemerus (Diod. V), vel Virgilius ex versione Enniana:

---

(1) Recte KRAHNER, l. c. p. 41: »Panchäa findet sich bei diesen Dichtern haüfig als land des Weihrauchs genannt und gewiss ist auch hierin nur eine Nachahmung des Ennius zu erkennen."

(2) SALMAS. *ad Solin.*, 33 s. 36 eam ponit in Oceano Indico; HARDUIN., *ad Plin.* VI, 34, 29, in Aegypto inferiore; IS. VOSSIUS, *ad Pompon. Melam*, III, 8, 8 in regionibus Troglodyticis.

»Tota thuriferis Panchaia dives arenis" (1).

Iam satis compertum est, vidisse Euhemerum neque unquam Panchaïam, neque templum aliaque; nam non aderant haec loca.

Finxit insulam, templum, columnam.

Neque tamen in majore versantur errore ii, qui frustra eam quaerunt insulam, quam qui garrulitatis et suspectae ideo accusant Euhemerum fidei. Minus facilis fictae insulae causa fuisse videtur intellectu veteribus, qui mendacem eum geographum fuisse jure clamitant; attamen tam de veteribus quam de iis judicibus, qui nostro tempore hanc ob insulam commentitiam historicum condemnarunt Euhemerum, valeat judicium, quod enuntiavit Nitzch l. c. p. 455 seqq. (2):

Quid? Si fabulis usus est ad efferenda et pervulganda, quae nova de diis enuntiaturus esset, si porro

---

(1) Addantur ea, quae haud minus insulse de insula Panchaïa ejusque disputavit incolis, FOURMONT (*Mémoires de l'Acad. des inscr.*, tom. XV, p. 265 seqq.).

Paucis conabor expedire quae multis exposuit vir doctissimus.

Πανάρα est idem ac Πάραν vel Φάραν transpositis ν et ρ; Παράνα igitur idem ac Γανάρα.

»Il s'agit ici du désert de Pharan: l'Ecriture la nomme plusieurs fois; mais si cette transposition faisait peine" legimus Πίναρα in parte Syriae, quae dicitur Pieria; etsi sita in Syria, tamen caput *Syriae et Arabiae*.

»Paris n' est il pas la capitale de Marseille, c'est à dire du royaume où se trouve Marseille"?

Tres tribus templi Jovis Triphylii fuerunt:

les Ismaelites et les Madianites dans Abraham par Hagar et par Cethara; les Moabites et les Ammonites dans Lot par ses deux filles; les Amalecites et les Ammorrhéens dans Esau par Amalak et par Omar. voilà le Τριφυλαῖον.

(2) »Es ist abermals ein Beispiel aüsserlich stoffartiger Auffassung, wenn Polybius, Strabo, selbst Plutarch eben die phantasirte Erzählung von dem glücklichen Panchäa als ernstlich gemeint auffassen, als habe er den geographischen Entdecker machen wollen."

suam eadem induit forma doctrinam, qua antea induerant Graeci suas de diis fabulas mythosque, si denique philosophorum minus secutus est exemplum et rationem, quorum quippe nunquam ad vulgus penetrarant cogitationes sublimes, in propatulo esse videtur Euhemerum his omnibus indicare rebus, se quae vellent ac spectarent aequales, penitus perspexisse, hisque adaequasse formam.

De quibus tamen omnibus agetur postea.

CAPUT IV.

DE EUHEMERISMO.

Haud facile videtur ferri posse judicium de Euhemero et de consilio, quod sibi proposuerit (Euhemerismo).

Iam primum pauca, quae de auctore ipso traduntur, tum inopia fragmentorum, quibus perspectis notio τῆς ἀναγραφῆς non satis dilucida concipitur, sententiae porro veterum, inter se variantes et discrepantes, postremo nostri temporis virorum doctorum opiniones et judicia, quae maxime distant, praecipue de operis pretio, vi atque effectu, haec omnia caute de eo judicium ferre cogunt.

In veterum praecipue testimoniis de Euhemero et Euhemerismo considerandis cautionem adhibeas necesse, cum agunt de auctoris operisque vitiis aut meritis.

4*

Multumne tribues Plutarchi criminationibus (1) et Callimachi irae (2) an Theophili mendaciis (3)?

Quid valent ceteroquin atheismi crimina, a veteribus in eos coniecta, qui cultum publicum, vulgi deos spernere essent ausi, vel (unde fortasse Callimachi et Plutarchi excitantur irae) obstare principibus et imperatoribus cultu ad coërcendum vulgus abutentibus.

Quid denique proficimus in judicio de Euhemero, si, ut postea e fragmentis apparebit, falsa haec atheismi fuerunt crimina (4)?

Paulo majorem habent auctoritatem ERATOSTHENIS aliorumque geographorum STRABONIS et POLYBII judicia, quamvis gravissimorum testium, quippe in judicando de Euhemero Panchaïam modo spectantium, neque orationis vestitum et illecebras, ut ita dicam, quibus alliciebat lectorum animos, a vera scriptoris sententia distinguentium.

---

(1) Hanc obrem iam supra transscripsimus verba, quae praecedunt locum nostrum apud PLUT. (*de Is. et Osir.*), cap. 23. Qualia argumenta adferuntur! Euhemerus videtur bellum gerere cum longo tempore, multis hominibus, gentibus, familiis; sancta nomina e coelo in terras deducere, fidem omnibus hominibus ingeneratam exturbare conatur etc. etc. Haec sunt Plutarchi crimina. Nonne ejusmodi fulmina in omnium temporum reformatores sunt conjecta?

(2) De Callimachi fide et auctoritate cf. vir clar. COBET, *Mnemosyne*, vol. X, p. 391—398. »Amisit in aulicae adulationis foetore animi sanctitatem et φρόνημα omne;" Narrat ceteroquin idem Callimachus Jovis sepulcrum esse in insula Creta (*Hymn. in Jov.*, vs. 8).

(3) THEOPHIL. l. c. » deos prorsus e rerum natura tollit et hoc universum casu et fortuito non providentia regi confitetur Euhemerus", prima hujus judicii pars continet mendacium ut postea indicabitur; in altera parte Theophilus Epicureorum sententias cum Euhemeri doctrina videtur permutasse.

(4) Cf. V. LIMBURG BROUWER, *Hist. de la civilisation* etc. tom. VI, p. 325. Scripsit de Euhemeri et Diagorae Melii atheismo ZIMMERMANN in epistola, qua ab atheismo contra Plutarchum aliosque defenduntur in *Museo hist philol. theol.*, tom. I, p. 714.

Aeque circumspecte leguntor denique laudes (1), quas nostro Euhemero tribuunt ecclesiastici, quippe qui saepius ejus libro utebantur praesidio, invadentes in deos, quos veteres colebant, socioque inter hostes tum gaudentes. Facile inde sequitur, Euhemerum ejusque opus, de quibus multa disputanda et conjicienda relinquebantur, ac de quibus, quo pauciora scripta inveniuntur, eo plura cogitari potuerunt, apud recentiores quoque philologos et mythologos examini et conjecturis subiecta fuisse.

Praecipue de Euhemero ejusque opere disquisitiones instituerunt, (praeter viros doctos, qui in curandis et edendis aliis scriptoribus de Euhemero late exposuerunt (2)) ii, qui singillatim in eo describendo occupati fuerunt, sc. Francogalli: SEVIN, *Recherches sur la vie et les ouvrages d'Evhémère* (1726). *Mémoires de l'Académie des inscriptions*, Tom VIII, p. 107—117, caute judicium in neutram partem ferens, praecipue autem Euhemero in iis quae de Panchaia narrat fidem denegans, parum *Euhemerismum* illustrans.

FOURMONT (3), ibid. Tom. XV, p. 265—290, magna Euhemeri admiratione abreptus, amicus officiosus, summo studio quaerens Panchaïam, quam nunquam vidit Euhemerus, neque visam voluit, FOUCHER,

---

(1) Miratur CLEMENS ALEXANDR., *Protrept.*, p. 20, quare Euhemerum *σωφρόνως βεβιωκότα καὶ καθεωρακότα ὀξύτερόν που τῶν λοιπῶν τὴν ἀμφὶ θεοὺς τούτους πλάνην ἀποκεκλήκασιν ἄθεον.* Videtur porro et EUSEBIUS probare Diodori et Euhemeri contra Homerum et Hesiodum de Diis opinionem neque non probant Euhemeri sententiam Lactantius, Augustinus, Minucius, Arnobius.

(2) WESSELING, ad *Diod. Sic.* II, p. 633; in Ennii fragmentorum editione COLUMNA; VOSSIUS in Pomponii Melae editione, SALMASIUS, multique alii.

(3) Est titulus commentationis: *Dissertation sur l'ouvrage d' Euhémère intitulé ἱερὰ ἀναγραφή, sur la Panchaie, dont il parlait et la relation qu'il en avait faite* (1740).

ibid. XXXIV et XXXV, (1762—66), in quatuor commentationibus: »*Recherches sur l'origine et la nature de l'Hellénisme ou de la religion de la Grèce*" (1).

Accuratius tamen perspexerunt argumentum Germani, non solum quia profecerant in Graecorum cultus notitia, indeque rectius indicare poterant, quem locum tenuerit Euhemerus, sed etiam quia intelligebant, inter historiae scriptores recensendum esse Messenium.

Non tamen omnes inter se consentiebant.

Magnam praecipue vim operi tribuerunt viri doctissimi: BÖTTIGER (2), BLUM (3), HOECK (4), NITZCH (5), GERLACH (6), KORTÜM (7), quorum omnium sententiae hisce fere verbis continentur: »Wider den nationalen cultus »richteten sich mit zerschmetternder Wirkung die »populären Keulenschläge des mit Witz, Menschen-

---

(1) Inveniuntur hae tres commentationes etiam in HISSMANN's *Magaz.*, B. 1, 2, 3.

(2) l. c. I, p. 186—105, qui postulat · »die Trennung der Einkleidung und der Tendenz des Buches." Multo melius vidit de insula Panchaia. Ita judicat de operis effectu: »sie hat auf den Umsturz der hellenischen Mythologie den dauerhaftesten Einflusz gehabt."

(3) BLUM, *Einl. in Roms alte Gesch.*, p. 100: »Keiner hat aber leicht eine so unabsehbare Wirkung erreicht...... weil er ohne Weiteres die alte Götterwelt umstürzte und das auf so geistvolle Weise dass seine Richtung bei Untersuchungen fremder Göttergeschichten fast Allen lenkte."

(4) HOECK, *Creta* III, p. 327: »Keiner hatte vor Euhemerus mit so gewaltigem Schlage den ganzen Hellenischen Olymp erschüttert. Der tiefe Eindruck, welchen das System des Mannes erregte" etc.

(5) NITZCH, l. c. p. 462: »es war ein bewunderenswürdig scharfer Blick in die Religion seiner Zeit, den Euhemerus that. Darum muszte seine Stimme einen tiefen Schreck in die Gemüther bringen."

(6) GERLACH, *Histor. Studiën*, p. 151: »Dass nun dieses Buch nicht blos in der Litteratur etwa für die spätere Behandlung der Mythologie eine grosze Bedeutung gehabt habe, darüber kann doch wohl ein unbefangener Beurtheiler kaum zweifelhaft sein."

(7) Cujus verba (*Gesch. Griech.*, III, 130) subsequuntur.

»und Weltkenntnisz reichlich ausgestatteten Euheme-»rus aus dem sikelischen Messana."

Non vero tanti aestimarunt auctoris ingenium ŏperisque effectum viri doctissimi: STEINHART (1), V. LIMBURG BROUWER (2), KRAHNER (3). Hic acriter, ingeniose tamen, ut Euhemeri operisque vim et praestantiam deminuere et debilitare studet, ita ceterorum doctorum refutat sententias.

Videamus igitur, quatenus recte judicaverit vir acutissimus, quid inter tot tamque varias sententias de Euhemero et Euhemerismo statui posse videatur.

Continetur disquisitio hisce quaestionibus:

Quid statuit de diis Euhemerus?

Quomodo mutavit historiae studia?

Quatenus mutavit cultus statum et conditionem?

A.

Optime mihi videtur tradidisse Euhemeri de diis sententiam SEXTUS EMPIRICUS: »dii homines fuerunt,

---

(1) In ERSCH. u. GRUBER, tom. XXXIX, 1, in voce »Euhemerus" »Die Verbreitung dieser (des Euhemerus) Ansicht hat jedenfalls dem Volksglauben der alten Welt einen mächtigen Stosz gegeben, um so mächtiger, weil sie nicht durch eine idealere, geistigere Auffassung sondern durch eine materielle völlig gottverlassene Ansicht verdrängt wurde."

(2) *Overzigt der gesch. van de allegor. uitlegging*, p. 18: »Dit systeem, hoe laf het ons ook moge voorkomen, maakte fortuin in Griekenland."

(3) KRAHNER, l. c. p. 24: »Der Vergessenheit entrisz den Urheber einer leichtfertigen, der ernsteren Tendenz sowohl als der nachhaltigen Wirkung ermangelnder Arbeit, abgesehen van Ennius, von dem nachher, die Rüge würdiger Zeitgenossen und das Interesse, welches er einem Diodor abgewann. Den Glans aber verliehen seinem Namen die verführerischen Berufungen mit überlegter Unkritik excerpirender Apologeten.

qui primum sibi ipsi divinam affinxerunt potestatem: postea autem et a multis aliis Dii existimati sunt" (1).

In omnibus fere fragmentis et locis, quibus de libri argumento agitur apud veteres, eadem invenimus scripta.

Apud Eusebium (cf. pag. 35) opponuntur sempiterni et omnes interitus expertes dii *terrenis*, de quibus proprium quid sectatus est Euhemerus: hi propter beneficia, quibus genus humanum sibi obstrinxerant, cultum divinumque honorem consecuti sunt (2).

Simile quid reperimus in Ennii fragmentis apud Lactantium, ut facile ex utriusque, Diodori et Ennii, fragmentorum apparebit comparatione (pag. 39 et 40).

Iisdem ac Sextus Empiricus utitur verbis Minucius Felix »ob merita virtutis aut muneris deos habitos" et Cicero »viros fortes aut potentes post mortem ad deos pervenisse."

Sic Arnobius: »omnes istos, quos nobis inducitis ac appellatis deos, homines fuisse" et Augustinus utroque loco, ubi de Euhemero agit (3) et Plutarchus, ut iam supra indicavimus.

Hoc denique indicatum et demonstratum voluit Euhemerus suo libro.

Non solum semidei (ἡμίθεοι) *et heroes homines fuerunt, ad deos sublati* (vergötterte Menschen); *sed etiam dii majorum gentium omnes mortales fuerunt, et facti sunt dii cultu, ad quem homines aut vi coacti sunt, aut*

---

(1) Iisdem fere verbis PLUT., *de Is. et Osir.* c. 22: οἱ μὲν οἰόμενοι βασιλέων ταῦτα καὶ τυράννων, δἰ ἀρετὴν ὑπερφέρουσαν ἢ δύναμιν, ἀξίωμα τῇ δόξῃ θεότητος ἐπιγραψαμένων ἔργα καὶ πάθη δεινὰ καὶ μεγαλὰ διαμνημονεύεσθαι."

(2) παρ' ἅπασι τιμηθῆναι καὶ θεὸν ἀναγορευθῆναι.

(3) »Homines fuisse mortalesque conscripsit."

sponte sua pervenerunt, ut gratum praeberent animum.

»Dii quidem (sic perrexisse mihi credo Euhemerum et systema explicuisse), dii quidem extiterunt et etiamnunc sunt, sed prorsus alius sunt naturae atque Olympii, *χθόνιοι* et *ἡμίθεοι*: sunt Dii quos ego colo *οὐράνιοι*; omnes quos ceteroquin deos nominatis, qui, sicuti narratis, hominum fatis et casibus interfuerunt, mortalibus se conjungebant, humanis praediti formis et facultatibus, quorum frustra explicare et defendere conamini vitia humana, hi omnes re vera homines, mortales fuerunt."

»Desistatis igitur interpretationibus physicis et historicis mutare et mutilare deorum naturam et historiam; demittatis majorum memoriam, commemorationis famam et errores; credatis modo historiae auctoritati!"

Narrat deinde Euhemerus pseudo-deorum historiam, quam refertam ostendit humanis casibus et gestis, caedibus, expugnationibus, crebris principum mutationibus, nuptiis, morte; sepulcra commemorat et indicat. In Jovis praecipue historia magni regis imago (Alexandri v. c.), incurrit in animos; nullius historiam latius exposuisse videtur Euhemerus, nullius certe latius exposita ad nos pervenit. Jovis vita est ad finem et mortem perducta.

Quis est igitur ille Jupiter ex sententia Euhemeri eorumque, qui ejus doctrinam sunt secuti?

Ex insula Creta, respondent, se propagavit Jovis cultus; fuit ille Jupiter summns dux et mundi expugnator, qui constituit domum regnatricem (dynastiam).

Adeo inclaruerunt principes, qui ex hac domo provenerunt, imperandi potentia et sacerdotum artibus adjuti, eosque adeo diligebant et admirabantur, adorabant et venerabantur aequales et posteri, ut divinorum participes sint facti honorum et ex eorum *ἀποθεώσει* Olympiorum cultus in omnes permanaverit partes.

Secundo libro hanc *Olympiorum* historiam videtur narrasse (1), tertio tum ad χθονίους θεούς et ἡμιθέους pervenisse (2).

Hoc igitur memoria retentum et per Euhemeri sententiam significatum velimus: nequaquam ab initio homines inter et deos istos, quos pii vocabant Olympios, deprehenditur differentia: fuerunt enim omnes similiter mortales.

B.

Novum quid igitur protulit, quo historiae studia mutaret et cultum religionemque concuteret?

Omnino, ut videtur, tam notione ipsa de diis edita, quam modo, quo hujus notionis veritatem illustrare studuit.

Anxia et timida hucusque pragmatica ratio, cujus methodi iam antea protulimus exempla.

Quidquid in deorum mythis incredibile mirumque videbatur, historia vel geographia duce explicabatur, potius dicas, mythi emendabantur.

Ab Euhemero vero ii ipsi dii referebantur ad personas, quae in mortalium historia prodibant, et praetermissa iam audacioris critices laudatione aut vituperatione, ingens tantum ostendere animus fuit discrimen, quod inter eum et qui ante eum viguerunt extitit rerum scriptores (3).

Exsequebatur Euhemerus, quod inceperant priores pragmatici, neque summorum deorum verecundia, sicut Herodotus, retinebatur, quin libere »κινήσειε τὰ

(1) Diod., l. V, c. 46: μετ' αὐτάς (gesta Jovis) τὰς 'Αρτέμιδος καὶ 'Απόλλωνος πράξεις.

(2) Cf. athen. l. c. et minucius felix l. c.; putamus Cererem et Cadmum.

(3) Concedit ipse hac in re vir clar. v. limburg brouwer, l. c.,

ἀκινητά" (1) et explicaret, quidquid humani de diis traderent mythi.

Antiqui mythi sive vetustissima historia apud Graecos, plerumque de diis majoris minorisve agens ordinis, falsis nitebatur fundamentis: Vidit hoc atque recte perspexit Euhemerus; hac in re, judice Diodoro, ἰδίως ἀνέγραψε, proprium quid sectatus est. Nec mirum; *fuit enim ille tam sanae mentio, ut intellexerit* (quod non solum veteres sed nostri temporis quoque auctores satis stulte in malam partem accipiunt) *nunquam extitisse deos.*

Tollit quod falsum erat et falsum ei videbatur. sententiam profert, non futilem vel commenticiam, sed, quoad fieri potuit, hypothesin demonstratam: »fuerunt et noster Jupiter, Juno, Diana, Mercnrius mortales."

Nolumus disputare de opinionis veritate ne obruamur copia sententiarum de ortu cultus deorum: ostendimus modo, ut supra dicta repetamus, judicium ejus subtilius, novum (2) et pro viribus et aetate diligenter demonstratum.

Nam historicorum, non philosophorum instar, confirmabat hypothesin.

---

p. 17; ceteroquin minus recte animadvertens: »Dé geschiedkundige allegorie is geheel na Alexander ontstaan; de voornaamste apostel er van is Euhemerus."

(1) PLUT., l. c.

(2) »Novum": quo sensu iam saepius dictum: in lucem protulit quod absconditum iam diu in cultu aderat Graecorum: Recte hac de re KRAHNER, p. 29: »Es ist ein eben so alter und im ganzen Alterthume verbreiteter als natürlicher Glaube Männer, denen man Ausserordentliches verdankte, als Inhaber höherer göttlicher Macht zu betrachten und das Andenken ihrer segenreiche Institute durch göttliche Verehrung zu feiern."

Cf. CIC., TUSC., I, 12. PLINIUS, *N. H.*, II, 5; »Hic est vetustissimus referendi bene merentibus gratiam mos, ut tales numinibus ascribant."

Dinumerabat pseudo-deorum natales, patrias, sepulcra; monstrabat haec omnia per provincias; narrabat mortem et sepulturas; colligebat titulos et inscriptiones in antiquissimis templis; annotabat quidquid ea de conjugiis, imperiis, rebus gestis continebant; quaeque argumenta investigandi causa, peregrinationes in Aegyptum et Palaestinam aliasque regiones suscipiebat, inventaque scripto peregit historica diligentia, non fabulosa garrulitate. Ceterum in ipsa patria, quid facilius Euhemero quam dicta probare, oppleta tota Graecia fanis, templis, a falsis Diis extructis, sepulcris? (1).

Nonne ubique ludi, festi dies, sollemnia celebrabantur in memoriam dierum natalium et supremorum, quibus nati aut defuncti erant immortales? (2). Nonne in cultu latebat Euhemeri sententia? Neque non usus est omnibus, quae probandae sententiae inservirent.

Vir doctissimus Krahner, ut apparet quum refutat Boettigeri sententiam de Euhemero (pag. 26) agnoscit quidem Euhemeri diligentiam in quaerendis fontibus sed varietate eorum quae sunt relata de astrorum

---

(1) Inter quae praeccipue nominandum Jovis sepulcrum in insula Creta. Errant qui putent per Euhemerum ejusque doctrinam ibi exstructum esse hoc sepulcrum neque ibi ante eum inventum fuisse. Testatur hoc ipse Euhemerus (HIERON. COLUMN., ed. Hessel, p. 324): »Sepulcrum ejus est in insula Creta in oppido Gnoso" etc. Confirmat haec verba Callimachus, quamvis paratus ad Euhemeri refutandum testimonium, (*Hymn. in Jov.*, vs. 8). Recte hac de re HOECK, *Creta*, III, p. 333: »Was dieser Mann that, bestand darin, dass er Landessagen und Monumente wie auf Creta so auch gewisz an andere Orten geschickt für seinen Zweck benützte.

(2) Cypri erat sepulcrum Veneris cf. PRELLER I, p. 275. De Bacchi sepulcro PLUT. *Is. et Osir.* c. 35. *καὶ Δελφοὶ τὰ τοῦ Διονύσου λείψανα παρ' αὐτοῖς παρὰ τὸ χρηστήριον*, et PRELLER I, p. 538. APOLLINIS dies natalis »am 7 des Frühlings monates Bysios so auch die Stiftung des orakels PRELLER, I, 204. De natu Junonis; in insula Samo cf. PRELLER, 126.

notitia apud Eusebium et Hyginum (cf, p. 35 et 43) permotus, confuse fontibus eum esse usum putat (1).

Quodsi viro doctissimo concederemus, iam ex parva quae conspicitur varietate in iis, quae de astrorum notitia retulerint Eusebius et Hyginus, hoc de Euhemero statui posse judicium, (quod nobis quidem minus placet), non negat tamen vir acutus hausisse e fontibus Euhemerum; apud eum quoque constat usum esse Messenium quae in fontium dignationem verti possent, licet reperta non ordinaverit neque recte semper conjunxerit.

Lubenter sane Euhemerum, Boettigerum secuti, patrem appellaremus interpretationis mythorum, quae dicitur historica (Vater der historischen Mythenauslegung) ac lubenter ejus viri docti subscriberemus judicium (2).

Reliquum est, ut pauca dicamus de vestitu ornatuque, quo induerit sententiam, quali usus sit forma in lubrico argumento explicando; explicemus necesse denique, quare de industria neglexerit rationem historicam et a vero nonnunquam aberraverit.

---

(1) »Dasz Euhemerus die einzelnen Erzählungen ganz einfach wie er sie vorfand oder vorgefunden zu haben vorgab, neben ein: ander stellte ohne die Tendenz geschichtlicher Uebereinstimmung, wohl aber alle als Belege seiner pragmatischen Erklärung der Mythen."

(2) »Niemand scheint die Sache mit einem gröszeren Aufgebot von Scharfsinn und Belesenheit angegriffen und mit sorgfaltiger Prüfung an Ort und Stelle selbst (ἱστορία) durchgeführt zu haben als der Sicilianer Euhemerus." Eadem fere censet GERLACH, l. c. p. 143: »Aber gerade hierin unterschied sich Euemerus wesentlich von allen denen, welche früherhin etwas Aehnliches geäussert hatten. Diese nämlich, grössentheils Sophisten oder durch sie gebildet, hatten in Uebermuth des speculirenden Verstandes oder durch die Consequenz der Selbstsucht missgeleitet, wohl Aehnliches ausgesagt, aber Euhemerus hatte seine Behauptungen durch eine Analyse des ganzen Sagenkreises, sowie durch eine geschichtliche Erklärung und selbst durch urkundliche Zeugnisse zu begründen gesucht."

Recte viri doctissimi Boettiger et Hoeck monent distinguendum esse operis consilium (Tendenz) a verbis, quibus occultaverit opinionem suam auctor (Einkleidung) (1); valde autem meruissent de disciplinis, si in tanta reliquiarum inopia, exemplum laudatae dedissent distinctionis.

Multa opinari licet. Verisimillimum mihi videtur Euhemerum prae omnibus hoc voluisse, ut sua de diis sententia in vulgus emanaret: forma usus est, hoc tempore vulgari (2); scenam transtulit in Asiam, regionem, in quam omnium oculi erant conjecti. Itaque maxime in insula Panchaïa describenda prima specie indulsisse videtur inscitiae et pravo lectorum, hujus praecipue temporis, judicio;

Non tamen Krahnero assentiremur (3), quia habemus, quo perducamur, ut in judicando simus prudentes. Auribusne modo lectorum se accommodavit Euhemerus in describenda insula Panchaïa?

Nonne, descriptionem perlegens, in insulae regiminis forma hujusce aetatis opiniones de optima civitatis regundae forma expressas quasdam invenire putas; tempore quidem, quo democratiae et ochlocratiae fluctibus vix emersa, paucorum vel regis dominationem

---

(1) Böttiger, I, 191: »Man musz bei der Kritik uber ihn die auf Effekt berechnete, wundervolle Einkleidung seiner Geschichte von der eigentlichen Materialiën und der Tendenz des ganzen Werkes sorgfältig unterscheiden."

(2) »Nam miraculis alliciebat lectores: ceteroquin in Ennii versione invenitur oratio valde simplex ad vulgi judicium accommodata.

(3) Man betrachte nur die frühesten Schriftsteller Alexanders, welche...... sich zur Aufgabe machten unerhörte Dinge in lügenhafter Sprache zu erzählen und man wird keinen Anstosz nehmen Euhemerus, was die Form seiner Bücher betrifft, in dieselbe Kategorie zu stellen." p. 31.

post varios casus et tot labores expetebat Graecia? (1)

Neque sine causa tot verbis sacerdotum, militum et agricolarum castae depinguntur (2). Quemadmodum iam Plato in republica describenda optima, Aegyptiorum spectat castas, Xenophon autem in Institutione Cyri justi ac boni regis imaginem licentiae popularium opponit regiminis, ita Euhemerus in felici insula depingenda Orientis sacerdotes, castas, instituta laudare videtur (3).

Iam vero videamus, an forma, quam induerit opinioni, conspiciatur modo in insula Panchaïa, cetera autem, quae de diis narraverit, serio ab eo sint exposita? Saepe enim mihi, legenti veterum testimonia et operis fragmenta dubia obvenerunt finxeritne solum Panchaïam an saepius sponte a vero deflexerit, sive ad lectores delectandos rem in ludibrium vertens, sive quos divino honore extulissent Graeci, cavillans.

Quid revera fuisse putavisset coquum Cadmum, meretricem Venerem, autochthona Brotum, ille Euhemerus, qui ceteroquin tam *σωφρόνως* de diis cogitabat?

Nonne potius nonnunquam acerbis facetiis eos persecutus esset, qui augerent deorum numerum vel rationem, qua novi instituerentur cultus, ridiculam (4)?

---

(1) Refert de altera trium insularum DIOD. V, c. 42: *διήρηται δὲ τοῖς ἐγχωρίοις ἡ χῶρα καί ταύτης ὁ βασιλεὺς λαμβάνει τὴν κρατίστην καὶ τῶν καρπῶν τῶν γινομένων ἐν τῇ νήσῳ δεκάτην λαμβάνει.* Vivunt quidem Panchaiae insulanorum ii *ἀβασιλευτοι* qui habitant caput Panara: attamen hi quoque *ἄρχοντας δὲ καθιστᾶσι καθ' ἐνιαυτὸν τρεῖς.*

(2) Quanta sacerdotum potestas, Graecis ignota! Cap. 45. *οἱ μὲν οὖν ἱερεῖς τῶν ἁπάντων εἰσὶν ἡγεμόνες.*

(3) Haec videtur opinari BLUM, l. c., p. 102, »er hat in der Form eines Romans seine Gedanken vorgetragen über Religion und den besten Staat."

(4) Cf. quae iam supra de Ptolemaeis diximus.

Videtur talis demonstrationis satyrico-comicae genus eo minus alienum ab Euhemero fuisse, cum discipulus Theodori vocetur et uno ore ejus nomen cum Antiphane comico proferatur (1).

Sed iam satis de Euhemero historico; pervenimus ad alteram quaestionis partem: quatenus immutare potuerit *deorum cultum* Euhemerismus.

C.

Iam operae pretium est ad quaestionem respondere fueritne Euhemerus ἄθεος necne? Inspectis operis fragmentis, optimis fontibus, facile eum deos agnovisse demonstratur.

Duarum classium deorum, de quibus Diodorus apud Eusebium, prior continet sempiternos, coelestes ut: Solem, Lunam, astra, ventos; etsi Euhemeri sententia non nisi de terrenis, quae sempiternis opponuntur diis, traditur neque igitur clare hoc loco exprimitur, Euhemerum hosce coelestes et sempiternos coluisse, verisimilius tamen fit, hanc quoque coelestium deorum eum agnovisse classem, si eiusdem rei aliunde etiam inveniuntur argumenta et indicia.

Insulani Panchaei »διαφέρουσι εὐσεβείᾳ et θεοὺς τιμῶσι"; Uranus »πρῶτος θυσίαις ἐτίμησε τοὺς οὐρανίους θεούς"; »Jupiter sacrificans (in quorum honorem?) suspexit in coelum, quod οὐρανός vocatur, idque Jupiter quod aether vocatur *precans*, primum coelum nominavit;" »Jupiter in Creta vitam commutavit et *ad deos* abiit."

(1) Cf. loca, quae e Strabonis scriptis attulimus: nominavit Eratosthenes eum eodem ac Antiphanem nomine τὸν Βεργαῖον. JOSEPHUS, *c. Apion*, I, c. 23, inter scriptores, qui de Judaeis scripserunt, praeter Euhemerum affert Aristophanem vel Ariphanem: fortasse legendum hoc loco *Antiphanem*. Cf. praeterea KRAHNER, p. 36 nota.

Coluit igitur deos Euhemerus in sacra historia; qualis autem naturae non constat, nisi quod erant alius naturae atque coluerant Graeci, superioris quidem ordinis. Priores igitur Graecorum dii ad heroum classem detrudebantur. Etenim nonne heroum quoque principes (Hercules), (quod de diis majorum gentium nunc statuerat Euhemerus), in deorum numerum fuerant relati ob merita et virtutes?

Fuit antea tamen magnum inter utrosque, Olympios et heroas, discrimen. Dii Olympii (1) scilicet immortales, οἳ πάντα δύνανται divina benignitate, potentis naturae potestatisque partem Herculi, Dionysio, Tyndaridis concesserant. *Proximum* igitur diis locum tenuerant heroes; secundum Euhemerum *omnes eodem honore afficiebantur*, quo, ut utar exemplo, gaudebat post mortem Theseus. Aliis verbis si rem expressam velis: evanuit heroum cultus, quia honor, quo fruebantur dii habiti fuit nullus: nam omnes, tam dii, quam heroes nihil erant nisi defuncti, meritis clari.

Iam supra vidimus anthropismum latuisse semper in Graecorum cultu: Euhemeri vero doctrina et systema, cum prodiret, factus est anthropismus primum et praecipuum, quod dicitur elementum in Graecorum cultu. Si recte perspectus esset Euhemerismus, tam vulgi quam eruditorum animi inde quam maxime essent concussi necesse.

His enim interrogationis laqueis irretitum *vulgus*

---

(1) Spectamus Jovem prae omnibus, de quo plurima agit Euhemerus; fuit ab initio pater deorum hominumque et semper in eodem stetit honore, de quo WELCKER, II, p. 78. »Zeus der Allerhöchste .... man kann nicht umhin zu bewundern, wie sehr neben den zunehmend verherrlichten Söhnen und Töchtern des Zeus und neben den andern Gottheiten, er aber der Vater der Götter sich im Bewusztsein der Nation in Kraft behauptet hat."

tenuisset Euhemerus: nonne, quo magis antiquo cultui antiquisque de diis fabulis et mythis adhaeretis, eo magis humanas facultates, formas, vitia in diis agnoscitis mihique ipsi arma praebetis? (1)

Pugnabat contra *allegoricos*, argumentis usus, allegoricis interpretationibus maxime contrariis: tollere humanum e deorum natura sibi proposuerant allegorici: tollit contra Euhemerus divina, servavit humana.

Ingentem igitur plagam *omnium* injecisset cultui Euhemerus, si recte ejus sententia intellecta esset ac penetrasset; nam fundamentum abstulit, omnibus commune: quod intactum reservarat etiam tum audacissimus quisque historicorum vel mythologorum: nam Euhemerus negare est ausus *Olympiorum* divinam naturam.

Num igitur destruxit tantum Euhemerus?

Nullam sane operis partem deperditam magis dolemus descriptione illorum *θεῶν οὐρανίων*, quorum nomen tantum ad nos pervenit. Nam qualis hi fuerint naturae, quem novum ipse igitur instituere sibi proponeret Euhemerus cultum, quo omnes conjungerentur, quibus suos eripuerat deos, quatenus denique etiam construxerit, haec omnia incerta manent. Legentes, quae de sempiternis scripsit diis Diodorus, et quae de astris in ceteris leguntur fragmentis, attendentes ea, quae iam supra de Panchaïa diximus, in qua describenda Asiae mores videtur laudare Euhemerus, fortasse eum coeli, astrorum, corporum coeles-

---

(1) Optime hac de re NITSCH, l. c. p. 461: »Wenn der gläubigere Gegner sich straubte: immer muszte er selbst erst die Saüberung der Sagen vollzogen und Abrechnung gehalten haben, wie viel der und jener Dichter oder die Volkssage den persönlichen Göttern angedichtet hätten. Am Ende blieb ihm gar schwer Mehreres übrig als mit Euhemer (nach Diod.) die Gestirne als die einzigen speciellen und ewigen Götter zu behalten."

tium cultum tanquam *τῶν ἀϊδίων καὶ ἀφθάρτων θεῶν* imagines indicasse conjicere licet.

Sed fac, nihil eum construxisse: ne tamen Euhemero, quod deos priores sustulerit, crimini detur: negavit enim adesse, quae revera non aderant.

Fuit sine dubio Euhemerus vir acerrimi ingenii. Si spernis, quae de diis fabulatus est Euhemerus historicus (1), quo facile perduceris, si nugas stultosque admiratorum imitatorumque legas errores, non constare memento, quatenus systema et forma, quam ei induerit, vel minus recte ab imitatoribus sint intellecta vel applicata; si minus delectaris ejus sententia de divini cultus ortu, (Euhemero igitur mythologo et theologo), caveas, ne de hypothesi judices, nisi habita ratione temporis, quo vixerit Euhemerus, et comparata ejus cum priorum ratione.

---

(1) Judicavit de Euhemeri systemate haec NITSCH, l. c., p. 464: »Wir dagegen gehen als Forscher gar sehr irre, wenn wir anders euhemerisiren, als dass wir etwa in den Geleit eines Gottes (Satyrn, Nymphen, Korybanten) seine Verehrer sehen, oder manche angebliche Wegen und Thaten der Götter oder Heröen ebenso als die ihrer Verehrer deuten.... Jedenfalls haben nicht Diomedes und Philoktet, sondern die, welche sie als Heroen verehrten, die bewussten Colonien in Italien gegründet; es ist kein leibhafter Tlepolemus nach Rhodus gekommen und ist Achill nicht von seiner Mutter Thetis sondern von den Milesischen Colonisten nach Leuke und zum Borysthenes geführt worden."

CAPUT V.

QUAEDAM DE ἱερᾶς ἀναγραφῆς VI ATQUE EFFECTU.

Non est quod dubitemus, quin operis Euhemeri magna fuerit fama, hominumque ad se converterit oculos animosque. Iam hoc manifestum fuit ex furore, quo persequebantur auctorem aequales, tam ob insulam Panchaiam, ab eo fictam, quam ob doctrinam, rei publicae generique humano periculosam. Conqueritur ceteroquin Plutarchus, per Euhemeri librum atheismum in omnes orbis terrarum partes esse dispersum, utiturque Callimachus convicians hisce verbis:

»Γέρων ἀλαζὼν ἄδικα βιβλία ψῆχε,"

unde patet, et senem, qui mendacia scripserit, et ipsa mendacia omnibus nota fuisse.

Neque a posteris non lectum fuit opus, sed per totam celebrabatur antiquitatem. Laudant enim ἱερὰν ἀναγραφήν tam Strabo, Polybius, Diodorus, Plutar-

chus quam Cicero, plures Romanorum poetae et ecclesiastici.

Neque tamen Euhemerum consecutum esse, quae spectarit, statuere ausim: Quem admodum atheismi criminationibus iam planum faciunt veteres injuste saepe de Euhemeri doctrina esse judicatum, (neque prudentius de fide ejus historica censent geographi), ita admiratorum apud Graecos caterva in operis externa forma, systematis novitate permota, acquievisse videtur, neque meliora de deorum cultus natura et historia quaesivisse.

Diligens sollersque Euhemerus, quamvis ipse id potissimum egerit, ut firmiora antiquae historia poneret fundamenta, unde patrem critices haud sine jure eum dixeris, non tamen profuit arti historiae scribendae Graecorum: nostri temporis fortasse mythologos et rerum auctores magis adjuvit quam antiquitatem.

Neque enim Graeci inquirere in mythos perseverabant, neque historica diligentia ea firmabant, quae erant reperta, neque denique melius quam geographi piique Euhemeri aequales animo complexi esse videntur Euhemerismum historici. Modum enim excedebant: non solum diis ipsis et heroibus sed etiam universae rerum partibus hominum nomina indebant; diis inferior dabatur locus, superiorem nonnumquam obtinebant animalia, nam cujusdam hominis haec accipiebant nomen (1).

---

(1) Attulit hujus rei exempla vir clar. v. LIMBURG BROUWER l. c.: »de arend van Prometheus is de Nijl en Hercules, die dit dier doorschoot een ingenieur van den waterstaat, die de rivier bedijkte (Diod. Sic p. 22). Pan is een veldheer en zijne hoornen zijn de vleugels van zijn leger. De nemeïsche leeuw en draak der Hesperiden werden twee reuzen, Leo en Draco, en de knods van Hercules een zoon van dien god, Rhopalus geheeten.

De novo idque vehementius exortum post Alexandri mortem certamen inter allegoricas iuterpretationes atque historicas.

Floruit allegoria Stoïcorum studiis philosophorum (1): nullus fere fuit contra historicus, quin Euhemeri cupipidius saepe quam verius sit secutus exemplum.

Narrat POLYBIUS (STRABO, pag. 20) Aeolum regem fuisse (2) et alio loco quemvis deorum mortalem extitisse aït, sed divino affectum esse honore, repertis, quae erant utilia generi humano (STRABO p. 24) (3).

DIODORUS SICULUS maxime Euhemerum admirabatur, neque tamen mente comprehendisse videtur, quid voluerit Messenius. Etsi sublimiora, quae de coelestibus cogitabat Diis Euhemerus, laudare existimatur ille, stultissima tamen de Sole et Luna tradit (4). Fuit porro ex ejus sententia Vulcanus vir, qui ignis invenit usum; Ceres pistrix, alios artem pistoriam docens; Prometheus Aegypti habuit regnum (5); celebrabatur Atlas, inclytus astronomiae scientia (6); fuerunt Colchidis tauri milites et Phrixi arietem nominat navem Diodorus (7).

Longum est ejusdem rei apud Dionysium Halicar-

---

(1) Cf. BÖTTIGER, p. 178, I: secuti sunt hanc rationem in explicando Aristarchus, Crates et postremo Eustathius.

(2) STRABO, p. 20: *καὶ γὰρ τὸν Αἰόλον δυναστεῦσαί φασι τῶν περὶ τὴν Λιπάραν νήσων καὶ τῶν περὶ τὴν Αἴτνην καὶ Λεοντίνην Κύκλωπας καὶ Λαιστρύγονας ἀξένους τινάς*: hanc obrem ita pergit, Scyllam et Charybdin nautis pericula minatas esse, quia haec loca a piratis occupabantur. *οὕτω .... τὰ ὑπὸ Ὁμήρου λεγόμενα ἱστοροῦμεν.*

(3) *οὕτω δὲ καὶ τῶν θεῶν ἕνα ἕκαστον τῶν χρησίμων τινὸς εὑρέτην γινόμενον τιμᾶσθαι.*

(4) III, p. 224—226.

(5) DIOD. SIC., p. 22; *Schol. Apoll. Rhod.*. II, 1249.

(6) DIOD. SIC., 1, p. 272, 273.

(7) p. 290.

nassensem (1) et Pausaniam (2) indagare vestigia: neque hi, neque Plutarchus, quamvis Euhemerismo infensus, ab Euhemeri procul absunt interpretationibus.

Maxime autem degeneravit Euhemerismus in Palaephati opusculo περὶ ἀπίστων. Nostrum non est accurate ejus statuere aetatem; verum tamen ex operis argumento et dicendi ratione patet, eum fuisse grammaticum Alexandrinum Euhemero natu non majorem (3). Sufficiat ex opere quaedam proferre exempla, quorum ineptiae tantum Homeri explicatorum nugis cedere dici possunt: Fuit scilicet Minoï regi filius, cui nomen Taurus; fuit draco Thebanus, Thebarum rex, a Cadmo interfectus; Graïarum ὀφθαλμός fuit famulus ejusdem nominis; Amalthea denique caupona (4).

Sed iam haec sufficiant de historiographia, ad Euhemerismi vim indicandam.

Quid autem statuas de Euhemeri doctrinae effectu in cultus rationem mutandam?

Frustra sane certa hujus mutationis quaeras indicia, nisi in historicorum operibus indicata.

Evanuerat enim cultus, sive potius pietas erga Deos tempore, quo scripsit Euhemerus. Novorum aliege-

---

(1) *Antiquit. Rom.* II, c. 20: mythos prorsus esse inutiles clamat nisi iis qui eos interpretari sciant.

(2) Hades, Molossorum est rex et regnum ejus vocatur Orcus, I, 17, 4, 5. Daedalus est nauta; est draco, qui vocatur Pytho, praedo et equus Trojanus ballista, cf. LIMB. BROUWER, p. 22.

(3) De eo BÖTTIGER, I, p. 187: »Was wir unter diesem Namen noch besitzen, sind höchst wahrscheinlich Bruchstücke eines Alexandrinischen Grammatikers, mit späteren Zusatzen aller Art verbrämt und zusammengeflickt. Indesz läszt sich doch für die historische Erklärung der Fabel, wie sie nach Alexanders Zeiten in den Schulen der Griechischen Grammatiker gegeben wurde, manches daraus lernen."

(4) Usus sum editione Frederici Dresigii Groningae edita: inveniuntur haec exempla, C. 2, 6, 32, 46.

narum quidem deorum cultus institui coeperunt: nullus tamen eorum ad populi pervasit animos, nisi cultum dicas istam mixtam farragonem ex Asiaticis et Europaeis religionibus (theocrasiam), quod ad Graecorum religionis historiam non magis quam ad barbarorum pertinere jure censetur. Nulla autem re Euhemerismum ceteris praeiisse patet (1): nihil enim tradunt scriptores de οὐρανίοις θεοῖς divulgatis, quorum proinde cultus apud eruditos viguit: Vulgus enim Euhemerum ἀθεώτατον iudicaret, fuit necesse.

Putat Hoeck, per Euhemerismum mutatam fuisse Jovis mysteriorum rationem in insula Creta (2).

At mihi quidem contrarium quid ac mysteria voluisse videtur Euhemerismus: Symbolis enim omnino privabat cultum pseudo-deorum, ita ut ad mysteria minime accommodari posset. Neque constare videtur Ptolemaeorum aliorumve principum apotheosin operis effectui tribuendam; quam et ante Euhemerum et tempore, quo scripsit librum, invaluisse satis patet (3).

Pervenimus ad Romanos.

Iam illico oritur quaestio, qui fieri potuerit, ut Euhemeri liber, quem civitati cultuique perniciem minitari nonnulli clamitarunt, Romam translatus fuerit,

---

(1) Recte HOECK, p. 334. »Streng durchgesetzt muszte das System dem gewöhnlichen Cultus ein Ende machen. Das geschah nun bekanntlich nicht; einen unmittelbaren Einflusz hat Euhemerus in dieser Hinsicht nicht ausgeübt."

(2) P. 335: »Auf Kreta tritt daher auch ein Einflusz des Euhemerismus auf die Mysterien hervor. Der jetzt ganz in das Gebiet der Menschheit zurückgezogene Gott bekam ein Cultus-gepränge, womit nur gläubige Euhemeristen dem Geheimdienst bereichern könnten."

(3) Afferri possunt plura exempla. Neleus, οἰκιστής, in Ionia (STRABO, XIV, p. 633), et Lycurgus (STRABO, p. 366); postea ii, qui in pugna apud Marathonem inter fecti sunt (PAUS. I, 32, 4). Miltiadem in Chersonneso cultum esse narrat, HEROD., VI, 33. Ly-

in civitatem, quae non, qualis Graecia, in eo erat ut dissolveretur sed vires contra extendens virtute, moribus cultusque publici florebat reverentia?

Enniana versione iam ab initio adducimur ut melius de Euhemeri libri judicemus pretio nisi forte KRAHNERI sequamur sententiam alio modo aenigma solventis (1). Quid autem? Num interpretatus esset vel vertisset Ennius librum, qui prorsus a populi cultu ac mente abhorreret? Num tam cito hujus libri argumentum in populum penetrasset? Euhemeri vertens librum, mihi vertisse videtur Ennius, neque quod tum prorsus alienum a populi romani cultu dici posset, neque reipublicae periculosum.

Videamus igitur quomodo res se habeat.

Iam Ennii aetate conjunctas fuisse inter se Graeciam et Italiam consuetudine et commercio multis conficitur testimoniis. Narrat STRABO (V, p. 220) regnantibus Tarquiniis multa e cultu Graeco Romam pervenisse (2): augebant iam mox hoc commercium urbes Caere, Cumae, Massilia, Sicilia insula Graeciaque magna in provinciae formam redacta (3); templa, more manuque Graecorum exstruebantur vel ornabantur (4); linqua graeca Romae iam cognita (5); alterius populi fama

---

sandro vivo nonnullae urbes statuas erexerunt (PLUT., *Lys.* 18) et Brasidam (THUC., VII) Amphipolitae heroa habuerunt.

(1) »Viel mehr gehören sie (Euhemeri sc. operum et Epicharmi versiones) blos der Individulialität des Ennius an.”

(2) *Λέγεται δὲ καί ὁ θριαμβικὸς κόσμος καὶ ὑπατικὸς καὶ ἁπλῶς ὁ τῶν ἀρχόντων ἐκ Ταρκυνίων δεῦρο μετενεχθῆναι καὶ ῥάβδοι καὶ πελέκεις καὶ σάλπιγγες καὶ ἱεροποιία καὶ μαντικὴ καὶ μουσικὴ ὅσῃ δημοσίᾳ χρῶνται οἱ Ρωμαῖοι.*

(3) Cf. PRELLER, *Röm. Mythol.*, p. 10, et BLUM, p. 85, NIEBUHR, I, p. 559; ULRICI, p. 90 seqq.

(4) PLIN., *H. N.*, XXXV, 12.

(5) PLUT., *Pyrrh.*, c. 20, ubi narrat Fabricium cum legatis et Pyrrhi convivis collocutum esse graeco sermone.

ad alterum perveniebat et scripsit de antiquitatibus romanis Hieronymus Cardianus (1); Graecorum mythi fabulaeque usque ad ipsam Romam pervulgata, Herodotique libros Romae non fuisse incognitos probabile est (2); Homeri carmina versionibus praebuerunt legenda Naevius et Livius Andronicus, primumque historicorum, Q. Fabium Pictorem, Dioclem Peparethium in fontium dignationem vertisse apud omnes constat (3).

Neque minus idoneus videtur fuisse cultus Romanorum, per se spectatus, ad Euhemerismi recipienda elementa. Iam in universum distat quidem modus, quo colebant deos Romani et de iis cogitandi ratio a Graecorum calore et impetu (4); distant forma et indole inter se Graecorum Romanorumque dii: aberant a Romanis illa phantasiae ludibria, quibus sibi mythologiam quidem crearant Graeci, multa autem falsa de diis finxerant; unde factum est, ut cultus Romanus facilius elementis oppleretur Euhemerismi. Neque carmen epicum neque heroës epici Romanis noti (5); colebant ab initio, ut recte animadvertit PRELLER, reges ob beneficia claros (6).

---

(1) DIONYS., *A. R.*, I, 6: *Πρῶτον ὅσα κ' ἀμὲ εἰδέναι τὴν Ῥωμαίκην ἀρχαιολογίαν ἐπιδραμόντος Ἱερωνύμου τοῦ Καρδιανοῦ συγγραφέως.*

(2) Cf. ULRICI, p. 90 seqq.: defendens sententiam contra Niebuhrianam de mythi trojani apud Romanos origine. Ipse NIEBUHR, thl. I, p. 290: »also musz man Kenntnisz griechischer Sagen annehmen, warum nicht des Herodot unmittelbar.”

(3) PLUT., *Rom.*, c. 3: *Διοκλῆς ὁ Πεπαρήθιος ᾧ καὶ Φάβιος Πίκτωρ ἐν τοῖς πλείστοις ἐπεκολούθησε.*

(4) PRELLER, *Röm. Myth.*: »Die Religion der Römer neigte mehr zum Cultus als zur Mythologie”, I, 1—3.

(5) PRELLER, l. c. 3—5.

(6) l. c. »Wohlthätige, alte Könige, welche wie Saturnus und Faunus (neque praetereundus Janus) in der frommen Urzeit regierten.”

Omnes fere reges prisci e conspectu evanescunt (1) inque deorum numerum adsciscuntur, unde postea apud Varronem deorum certorum et incertorum distinctio et Indigetum cultus, de quibus infra.

Ceteroquin non mirandum, adeo florente republica integrisque adhuc civium moribus, Euhemeri librum in lucem editum ab Ennio; nam omnino non metuendum fuit, ne civitatem in discrimen adduceret, etiam si concedas ex libri argumento periculum moribus cultuique imminere. Prorsus enim alia apud Romanos quam apud Graecos religionis ratio: Quo integriores enim Romanorum mores erant, quo magis florebat cultus publicus, quem jure apud eos dicas »religionem civilem" (2), quem defendebant tuebanturque *pontificum collegia* (3), cujus administrabant curabantque ritus, sollemnia, sacra *pontificum libri* (4) eo magis reipublicae commoda privatis opinionibus potiora habebat civis romanus (5).

---

(1) Dicitur vulgo »non comparuit", »nusquam apparuit." Narratur ita disparuisse Aeneas, rex Latinus, Romulus, Albanorum rex Aventinus, Saturnus, MACROB., *Sat.*, I, 7, 24.

»Cum inter haec subito Saturnus non comparuisset, excogitavit Janus honorum ejus argumenta."

(2) d. h. »die Religion, welche dem Römer als civis romanus zu üben oblag". KRAHNER, p. 8.

(3) Die Besorger sodann des Gottesdienstes in Athen, wie durchaus verschieden sind sie von denen in Rom. Jenen mangelt gänzlich, was das Wesen von diesen ausmacht: *die Beharrlichkeit und Geschlossenheit Priesterlicher Collegiën, und ihre Wirksamkeit in Angelegenheiten des Staates.* KR., p. 15.

(4) Die nothwendigste Bedingung einer positiven Religion .... ist das Vorhandensein von Schriften, welche den Innbegriff aller auf diese Religion bezüglichen Satzungen in unveränderlicher Autorität zum Inhalt haben. In Griechenland fehlen sie, in Rom sind sie vorhanden etc." p. 15.

(5) Recte igitur KRAHNER: l. c. p. 17: »die Vollendung der Staatsreligion ist bekanntlich in dem Nebeneinanderbestehen der

Vidimus igitur Ennium, vertentem ἱερὰν ἀναγραφήν, librum praebuisse Romanis legendum, neque ad Romanorum ingenium suamque aetatem non accommodatum, neque populi moribus minitantem.

Restat videre Euhemerismum revera singulorum hominum convellisse animi fidem, mentisque judicium. Distinquit hanc singulorum fidem a cultu publico Q. Mucius Scaevola (1) in triplice theologia, de qua AUGUST. de civitate dei IV, 27.

»Relatum est in litteris, doctissimum pontificem Scaevolam disputasse tria genera deorum tradita: unum a poetis, alterum a philosophis, tertium a principibus civitatis; primum genus nugatorium dicit esse, quod multa de diis fingantur indigna: secundum non congruere cum civitatibus quod habeat aliqua supervacua, aliqua etiam quae obsit populis nosse...... Quae sunt autem illa, quae prolata in multitudine nocent: Haec, inquit, non esse deos Herculem, Aesculapium Castorem, Pollucem: *Proditur enim a doctis quod homines fuerint* etc." Nonne Euhemerismum spectare videtur in describenda philosophorum doctrina? Euhemeri similiter systema innuit CICERO *Tusc. Quaest.* I, cap. 13: »Si vero scrutari vetera et ex his ea, quae scriptores Graeci prodiderunt, eruere coner: ipsi illi, majorum gentium dii qui habentur, hinc a nobis profecti in coelum reperientur: Quaere quorum sepulcra demonstrantur in Graecia" seqq. (2). Huic loco confera-

---

positiven Religion des Staates und der subjectiven Ueberzeugung der Individuen, in der Weise, dass die der Geltung der Ersteren beeinträchtigende Thätigkeit der Letzteren gebunden ist *durch die Energie des nationalen Bewusstseins*."

(1) A. u. 658. L. Crassi collega quum esset aedilis, praetor et consul.

(2) De hoc loco PRELLER, I, 65: » Wie weit übrigens auch

tur locus iam supra citatus (*nat. deor.* I, 42), et CICERO *nat. deor.* III, 19, 49: »nostri quidem publicani, quum essent agri in Boeotia deorum immortalium excepti lege censoria, negabant *immortales esse ullos, qui aliquando homines fuissent.*

Confirmat supra dicta triplex quoque Varronis theologia;

Quemadmodum a religione civili arcebat philosophorum poetarumque sententias Scaevola, ita novum condere cultus conatus est Varro, eo modo, ut cultum publicum ad privatorum opinionem accommodaret.

Tradit de ea AUGUSTINUS l. c. VI, 6: »denique cum civilem theologiam a fabulosa et naturali, tertiam quandam sui generis distinguere conaretur, eam magis ex utraque temperatam, quam ab utraque separatam intelligi vult."

Inter has philosophorum sententias, Varronem nosse atque significasse quoque Euhemeri doctrinam, ex distinctione *certorum* atque *incertorum* deorum manifestum mihi fieri videtur (1).

Fuerunt enim dii certi, qui ab initio certi, sempiterni

Cicero im Euhemerismus ging beweist die gelegentliche Aüsserung, dass selbst die oberen Götter doch eigentlich nur Menschen gewesen seien; cf. praeterea, quae cum Balbo disputat Cotta Academicus (CIC. *N. D.* c. 21), quo loco si non cognoscitur Ciceronis sententiae, patet tamen multos inter Romanos numerari admiratores. »Dicamus igitur, Balbe, oportet contra illos etiam, qui hos deos ex hominum genere in coelum translatos, non re, sed opinione esse dicunt, quos auguste omnes sancteque veneramur. Principio Joves tres numerant ii, qui theologi nominantur", seqq.

(1) Cf. PRELLER, I, 62, 63 seqq. Varronem praecipue hanc distinctionem fecisse apparet hisce locis; SERV., ad *Aen.*, II, 141: »Pontifices dicunt singulis actibus proprios deos praeesse: hos Varro certos deos appellat; porro SERV. ad *Aen.*, VIII, 275: »Varro dicit deos esse alios qui immortales ex hominibus facti sunt."

erant, quos perpetuos, proprios vocabat Varro, neque hunc locum consecratione obtinuerant.

Dii incerti igitur tales fuerunt dii, quos non ab initio, sed a quodam tempore consecratione dii erant facti: revera tamen dii haberi non poterant (1).

Euhemerismi tandem effectus mihi significare videtur *Indigetum* cultus (2), sive ἥρωας ἐπιχωρίους eos voces, sive (Arnobium (3), Silium Italicum et Claudianum secutus) ita eorum explices naturam, ut fuerint proprie dii, ex hominibus facti, quasi in diis agentes.

Iam igitur in dubium vocari non potest, quin Euhemerismus inter Romanos sit nactus admiratores (4), tum florente republica quam ultimis imperii seculis.

Nam eum significant omnes fere ecclesiastici.

Iam supra explicavimus honorem, quo apud ecclesiasticos et christianae religionis defensores laudatoresque fruebatur Euhemerus.

Restat praeter locos citatos aliorum quaedam afferre testimonia, ubi, etsi Euhemeri non exprimitur nomen, indicatur tamen ejus doctrina. Ita ATHENAG. *Leg. p. christ.* p. 35: »οἱ δὲ τοῖς πολλοῖς ἀρέσκοντες θεοὶ καὶ τοῖς εἰκόσι ἐπονομαζόμενοι, ὥς ἔστιν ἐκ τῆς κατ᾽ αὐτοὺς ἱστορίας εἰδέναι, ἄνθρωποι γεγόνασι", et TER-

---

(1) De quibus PRELLER: »Solche Götter, die man nach der tief eingefressenen euhemeristischen Anschauung der Zeit, *welcher auch Varro ganz ergeben war* für consecrirte Menschen hielt."

(2) PRELLER, I, p. 80.

(3) ARNOB., I, 64: »tyrannos ac reges vestros — appellatis Indigetes ac Divos." SIL. ITAL., X, 432. »Indigetesque dei, sponte inter numina nostra; CLAUD. *de bello Gild.* 131." Moerent Indigetes et si quos Roma recepit aut dedit ipsa deos.

(4) Cf. denique CIC., *de Leg.*, II, 8, 19: »divos et eos, qui coelestes semper habiti, colunto et ollos, quos endo coelo merita locaverunt, Herculem, Liberum, Aesculapium, Castorem, Pollucem, Quirinum."

TULL. *Apolog.* c. 10: »Testimonium perhibentibus ad hodiernum *et* civitatibus, in quibus sunt nati (dii), *et* regionibus, in quibus aliquid operati vestigia reliquerunt, in quibus etiam sepulti demonstrantur."

Plura collegit exempla V. LIMBURG BROUWER. Exposuit Jovis gesta Saturnique historiam Minucius Felix, clamat Arnobius se scire Jovis gesta, bella, quae gesserit Minerva, regiones quas viderit Bacchus conditionem moresque Veneris. Multa talia stulte de Baccho et Cerere fabulatus est Firmicus Maternus (1). Sed iam haec sufficiant.

Euhemerismi vestigia et effectus usque ad ultima antiquitatis romanae secula indagari posse, iam satis demonstratum.

Neque tamen idem valet de historiographia: non ea, sicut Romanorum dii, experta est Euhemeri libri vim.

Contendit vir doct. BLUM, non solum Ennianae versionis ope, sed etiam per Dioclem Peparethium Romam allatum fuisse Euhemerismum; hoc Diocle dicit usum esse auctore Q. Fabium Pictorem ejusque rationem iniisse omnes Romanorum priores rerum scriptores. Dioclis (cujus opera omnia perierunt) Euhemerique doctrinae difficulter inter se comparantur, neque facilius in antiquorum Romanorum historicorum fragmentis Euhemerismi indicia inveniuntur. Frustra enim ea quaesivisse ipse videtur BLUM: nam Varronem, Pisonem, Cassium Heminam aliosque, Fabii secutos fabulas commenticias, fidem violasse, quam ostendit vir doctissimus, male tamen hoc Euhemerismi tribuit effectui; eoque minus recte hoc factum esse videtur a Blumio, qui Messenii laudando ingenium, ceteros superat.

---

(1) V. LIMB. BROUWER, l. c., p. 33—36.

Non erat antiquorum rerum auctorum Romanorum (1) inquirere in deorum naturam historiamve: urbis Romae gesta, sui populi historiam describebant, tam annalium scriptores, quam sequentes historici; in antiquitate primisque seculis minime morabantur.

Methodi emendandorum et explicandorum mythorum quidem vestigia in historicis Romanis inveniuntur: ejus tamen historiae scribendae rationis initia per Ephorum et Timaeum Romae cognita fuisse facilius credas.

Euhemerus philosophus, Euhemeri de diis notiones potius placebant Romanis quam historicus.

---

(1) De iis ULRICI, p. 114. Zugleich ist der behandelte Stoff, nicht wie bei den Griechen mythisch und einer poetischen, fabelhaften Zeit angehörig, sondern durchaus prosaischer Natur, wie Cato durch seine Origines und Fabius und Cincius, deren Thema die Geschichte ihrer Zeit waren, beweisen.

THESES.

I.

Natus est Euhemerus Messanae Siculae.

II.

Non fuit ἄθεος *Euhemerus.*

III.

Non fuit insula Panchaia.

IV.

Minus recte BOETTIGER (Kunstmythol. I, p. 188) ἱερὰν ἀναγραφήν *vertit per vocabulum »Tempelarchiv".*

V.

Euhemeri vertens librum Ennius neque alienum quid a populo Romano neque reipublicae periculosum legendum praebuit.

VI.

Historiae, quae dicitur Universalis, notio veteribus fuit ignota.

VII.

Non scripsit eo consilio Germaniam Tacitus, ut absterreret a bello cum Germanis gerendo Romanos.

VIII.

Non anno 471 sed circa 456 natus est THUCYDIDES.

IX.

Non scripsit Dialogum de Oratoribus TACITUS.

X.

THUC. I, 20, *cum vir. clar.* COBETO *ita legendum:* οἱ γὰρ ἄνθρωποι τὰς ἀκοὰς τῶν προγεγενημένων καὶ ἢν ἐπιχώρια σφίσιν ᾖ ὅμως ἀβασανίστως παρ' ἀλλήλων δέχονται. *legebatur* ὁμοίως.

Recte de hoc loco vir clar. COBET, Mnem., XI, IV, p 341: »*Deinde* THUCYDIDES *ad hanc sive querelam sive criminationem probandam unum affert exemplum idque me judice non admodum luculentum.*"

XI.

Non assentior vir. clar. COBETO (Mnem. XI, II, p. 180) *expungenti* »*respondet*" *in verbis, qui leguntur* NEP., Alcib. c. 8: »*Alcibiades ad exercitum venit Atheniensium ibique praesente vulgo agere coepit; si vellent, se coacturum Lysandrum dimicare aut pacem petere respondet.*"

XII.

In verbis HEROD. I, 5: περὶ δὲ τῆς Ἰοῦς οὐκ ὁμολογέουσι Πέρσῃσι οὕτω Φοίνικες *delendum* οὕτω.

XIII.

Recte vir doct. K. W. PIDERIT (Neue Jahrb. für Philol., Aug. 1862, p. 488) emendavit CIC. de Orat. I, 8, 32. »*Quid autem tam necessarium quam tenere semper arma, quibus vel integer intactusque ipse esse possis vel provocare inprobos vel te ulcisci lacessitus?*"

XIV.

Non assentior vir. doct. G. KRÜGER (Neue Jahrb. für Phil., März 1862, p. 114), *emendanti locum* TAC., Ann., XI, 23. *An parum quod Veneti et Insubres curiam inruperint? Si coetus alienigenarum velut captae civitati inferatur, quem ultra honorem residuis nobilium, aut si quis pauper senator, fore?" Legendum hoc loco:* »*An parum quod Veneti et Insubres curiam inruperint, nisi coetus alienigenarum velut captivitas inferatur. Quem ultra . . . . . . fore?*"

XV.

Recte KRAHNER, Grundl. zur Gesch. der Röm. Reli-

gion, p. 19: *Als Vertreter der Epochen (der Röm. Religion) gelten uns* ENNIUS, SCAEVOLA *der Pontifex M. und* VARRO."

XVI.

Qui docet in gymnasiis linguas recentiores antiquitatis debet imbutus esse studiis.

XVII.

Vere GUIZOT, Histoire de la civilisation en Europe, p. 8: »*La portion qu'on a coutume de nommer la portion philosophique de l'histoire*, *les relations des faits entre eux*, *le lien*, *qui les unit*, *les causes*, *les résultats des événements c'est de l'histoire tout comme les récits de batailles et de tous les événements extérieurs. Les faits de ce genre sans nul doute sont plus difficiles à démêler*, *on s'y trompe plus souvent: il est malaisé de les animer*, *de les présenter sous des formes claires*, *vives; mais cette difficulté ne change rien à leur nature; ils n'en font pas moins partie essentielle de l'histoire.*

XVIII.

JOANNES DE WITT *nostrae magis obfuit quam profuit reipublicae.*

HISTOIRE